

CORONA VITÆ

CONTINENS MEDITATIONES DE VITA,

AC

Præcipuis perfectionibus CHRISTI DOMINI,

ATQUE

DIVINÆ PARENTIS IN SINGULOS DIES Hebdomadæ, Mensis, Annique totius digestas.

AUTHORE

PETRO CONTESSINO *SOCIETATIS JESU.*



BONONIÆ, M.DCCII.

Typis Constantini Pisarij ad S. Michaelem prope Archigymnasium. *Superiorum permissu.*

EMINENTISSIMO,

ET REVERENDISS. DOM.

D. JACOBO


Tit. S. Mariæ in Via S.R.E.

PRESB. CARD.

BONCOMPAGNO

BONONIÆ ARCHIEP.

ET S.R.I. PRINCIPI.





Uoniam magnitudo animi, qua præstas, EMINENTISSIME PRINCEPS, major est omnibus Dignita-

tibus, & Coronis, quas tantum despicis, quantum alij quærunt: exhibere Tibi coronam in mentem venit, quam sive Pietas, sive Magnitudo tua despicere nequit: immò quam Tibi unicè cordi esse, certissimè novi. Corona Vitæ est, præcipua Filii Dei, Divinæque Parentis decora complectens, ac gesta, in singulos Anni dies distributa, & partim quidem, & potissimùm in se; partim verò etiam consideranda in virtutibus, rebusq; gestis Beatorum Civium, veluti repercussa luce referentium Luminare majus, & Luminare minus.

Regnum Decoris, & Diade-

de-

dema speciei de manu solùm illius accipitur, cujus in Capite vidit Joannes Diademata multa Apocal. 19. 12.; & ille solum accipit, qui legitimè certat: & nunquam desinit audire dicentem: Tene quod habes, ut nemo accipiat Coronam tuam.

Non accipitur nunc, sed nunc incipitur:& ope Sapientiæ elaboratur, nostrisq; Capitibus, velut adhuc informis aptatur, cõtemplantibus nobis non quæ videntur, sed quę non videntur: donec illa eadem, aliquandò tandem remotis ęnigmatum umbris, in Civitate Domini Virtutum, sicut audivimus, videamus.

Qua Te familiaritate, Prę-
ſul Ampliſſime, ſtudium O-
rationis Deo conjungat, tę-
ſtantur illa, quæ facis. Quis
enim Paſtorum tanta cum
ſollicitudine, vigilantia, to-
lerantia laborum, conſtantia
in duris, patientia in adverſis,
manſuetudine in omnes, &
Charitate, quemadmodum
Tu, Gregi ſuo præſto eſſe po-
teſt, niſi Deus fuerit cum eo,
& in eo: & ille viciſſim ex
Conſortio Domini lucens, &
ardens, non didicerit perpe-
tuò eſſe cum Deo, & in Deo?

Hoc unum præ cæteris,
quibus emines, ornamentis
impulit, ut meum hoc, qua-
lecumq; illud ſit, opuſculum

nun-

nuncuparem Principi genus ſuum in omnibus redolenti, &majorum ſuorum, ab ipſo Patre Sanctiſſimo Gregorio XIII. erga Societatem univerſam merita renovanti, & renovaturo.

Noli tenuem hanc grati animi tuorum Benificiorum memoris teſtificationem cõtemnere. Quod in exiguo munuſculo meum eſt, nihil eſt, nihiliq; planè ducendum. Quod aliundè accedit, & meum non eſt, muneris vilitatem abundè compéſat. Quod enim aliundè eſt, via eſt, qua itur ad Regnum. Ipſius Regni, & Vitæ Corona eſt. Deniq; Ipſa Vita eſt. Majus, &



melius offerre non possum. Igitur diutissimè vive, & Ecclesiæ universæ, donec innumeris, de morte ad vitam labore tuo, cura, Divinæ Gloriæ zelo translatis, accipias Coronam Vitæ de manu illius, qui solus Tua, & omnium Via, & Veritas, & Vita est.

Humillimus, & addictissimus
EMINEN. TUÆ Servus
Petrus Contessinus.

AD LECTOREM
BENEVOLUM.

PRÆFATIO

De Titulo, Fine, & Usu præsentis Opusculi.

1 *Quoniam Capitis ornamentum Corona est, placuit collectionem è selectis considerationibus de Christo Domino, illiusq; Matre Sanctissima Coronam dicere, quia nihil magis illuminat, & exornat Intellectus, sive Capita Animorum nostrorum, quam Veritates, quæ vel tamquam Flores Immortalitatis in Coronam immarcescibilem colligantur; vel tamquam Lapides pretiosi Auro Sapientię in orbem ducto inseruntur; vel tamquam sidera Coronæ cuspidibus insidentia funguntur munere oculorum, non solùm decus redimitis frontibus afferentium, sed tutamen. Excubant enim adversus omnia machinamenta hostium, securosque nos præstant à timoribus nocturnis, à sagitta volante in*

die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano. Psalm. 90. 6.

Non solum igitur complexio ejusmodi Veritatum Corona, sed Vitæ Corona est. Illius enim beneficio & vivimus, & vivemus. Vivimus nunc, quià si omnis Contemplator vitam quandam à proposita sibi Veritate sortitur: quantò veriorem vitam ille sortietur à Veritate, quæ in omnibus Veritatibus Contemplatori suo se prodit, quæ omnis Veritas est, & quæ Veritas, & Vita est? Vivemus verò multò jucundius, atq; securius, quandò amotis ænigmatum involucris, eamdem Veritatem, & Vitam clarissimè intuebimur, & similes ei erimus, quià videbimus eam sicuti est. Quæramus igitur illius Faciem semper, & ad mortem usque fideliter inquiramus, memores illius, quod Angelo Sardis dictum est Apocal. 2. 10. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi Coronam Vitæ.

2 Quod attinet ad finem Operis, finis fuit eorum pietati morem gerere, qui quotidiè aliquid temporis impendunt privatæ recitationi Rosarii Mariani; simulque gaudent huic utilissimo generi Orationis vocalis, prò diversitate die-

rum,

rum, & argumentorum congruentes considerationes interserere, & sic majori cum fructu, sensuq; devotionis singulas, decurrere decades, illasq; brevi colloquio concludere, vel gratias agendo, vel emendationem Vitæ, & acquisitionem Virtutum deposcendo, vel in alios actus; prout mens, & affectus suggerit, prodeundo.

Ad levandum tædium variata sunt argumenta considerationum prò qualibet die sex mensium; immò totius Anni, si quæ mense antecedenti versata sunt animo, eadem recolantur mense consequenti. Neq; hoc meditanti molestum, sed potius pergratum esse consuevit: tum quià sæpenumero citius prætervolat tempus Orationi præfixum, quam singula materiæ ab initio proposita capita percurrantur, penitusque dispiciantur; tum quià licet omninò discussa fuerint, quod raro contingit, ob inhexaustam rerum divinarum abissum, nihilominus, quæ semel placuerunt, & fructum attulerunt, repetita delectabilius placent, & fructum afferunt uberiorem.

3 Denique quod attinet ad usum harum considerationum, advertendum primò est Vitam Christe Domini, Matrisque

que Sanctissimæ cum præcipuis utriusque præcellentijs triginta quinq; Meditationibus eße comprehensas prò numero quinq; Hæbdomadarum cujusq; mensis, licet una semper sit manca, & imperfecta.

Advertendum secundò ad vitandam confusionem dierum unius mensis, cum diebus alterius, semper inchoandas Meditationes Mensis Novembris, ex. gr. à feria 2. Hebdomadæ integræ Mensis Novembris, licet jam exacti eßent duo, vel tres dies illius. Undè fit, ut si prima dies Novembris incidat in diem Veneris e.g., non intermittendæ sint Meditationes Octobris, sed illis insistendum, usq; ad diem Dominicam inclusivè, juxtà designationem Octobri convenientem.

Advertendum tertiò, Meditationum distributionem in singulos menses commodissimam fore, si puncta singularum Meditationum, assignentur

Prima	*Novembri, atq; Decembri*
Secunda	*Januario, ac Februario*
Tertia	*Martio, & Aprili*
Quarta	*Majo, & Junio*
Quinta	*Julio, & Augusto*
Sexta	*Septembri, & Octobri.*

His

His positis triplex potest esse usus ejusmodi Considerationum.

Primus est, si quotidianę recitationi Rosarij præmittatur attenta, & ab omni curarum tumultu semota lectio unius tantum puncti ex præfatis Meditationibus, prò tali Mense, Hebdomada, ac die designati.

Secundus est si non solum præmittatur Lectio, sed brevis per unum quadrantem Meditatio, ità ut partim Meditatio, partim recitatio cum suis ad singulas decades colloquijs unam expleat semihoram.

Tertius est, si pro quotidiana Meditatione, non aliud argumentum in promptu sit, spatium integræ Horæ memorati puncti pōderationi adscribatur. Nullum enim ex punctis proponendis erit ità jejunum, ut non amplam meditandi materiem suppeditare possit, præcipuè exercitatis in studio Orationis. Divina enim ità plena sunt lucis, & ignis, ut spectatoribus oculis nova semper, & nova, admiratione digna sufficiant, & ardentibus animis novarum semper suggerant nutrimenta flammarum. Quoniam verò ut innuit Prophæta Psalm. 72. 10. reliquiæ cogitationis diem Festum Domino agere consueverunt,

runt, non erit difficile, reliquias cogitationum, & sanctorum desideriorum ex Oratione matutina transferre in obsequium certis Salutationibus Angelicis constans, Virgini persolvendum intrà eamdem diem, ubi tempus opportunum occurrerit.

Atque hæc de Titulo, Fine, & Usu Considerationum, quarum series hic eidem Benigno Lectori subijcitur.



IN.

INDEX MEDITATIONUM.

HEBDOMADÆ PRIMÆ.

HEB-

HEBDOMADÆ IV.

HEBDOMADÆ V.



INDEX

INDEX

Rerum præcipuarum hujus Opuſculi.

A

B

Cha-

C

D

G

H

que Sanctissimæ cum præcipuis utriusque præcellentijs triginta quinq; Meditationibus eße comprehensas prò numero quinq; Hæbdomadarum cujusq; mensis, licet una semper sit manca, & imperfecta.

Advertendum secundò ad vitandam confusionem dierum unius mensis, cum diebus alterius, semper inchoandas Meditationes Mensis Novembris, ex. gr. à feria 2. Hebdomadæ integræ Mensis Novembris, licet jam exacti eßent duo, vel tres dies illius. Undè fit, ut si prima dies Novembris incidat in diem Veneris e.g., non intermittendæ sint Meditationes Octobris, sed illis insistendum, usq; ad diem Dominicam inclusivè, juxtà designationem Octobri convenientem.

Advertendum tertiò, Meditationum distributionem in singulos menses commodissimam fore, si puncta singularum Meditationum, assignentur

Prima	*Novembri, atq; Decembri*
Secunda	*Januario, ac Februario*
Tertia	*Martio, & Aprili*
Quarta	*Majo, & Junio*
Quinta	*Julio, & Augusto*
Sexta	*Septembri, & Octobri.*

His

His positis triplex potest esse usus ejusmodi Considerationum.

Primus est, si quotidianę recitationi Rosarij præmittatur attenta, & ab omni curarum tumultu semota lectio unius tantum puncti ex præfatis Meditationibus, prò tali Mense, Hebdomada, ac die designati.

Secundus est si non solum præmittatur Lectio, sed brevis per unum quadrantem Meditatio, ità ut partim Meditatio, partim recitatio cum suis ad singulas decades colloquijs unam expleat semihoram.

Tertius est, si pro quotidiana Meditatione, non aliud argumentum in promptu sit, spatium integræ Horæ memorati puncti pōderationi adscribatur. Nullum enim ex punctis proponendis erit ità jejunum, ut non amplam meditandi materiem suppeditare possit, præcipuè exercitatis in studio Orationis. Divina enim ità plena sunt lucis, & ignis, ut spectatoribus oculis nova semper, & nova, admiratione digna sufficiant, & ardentibus animis novarum semper suggerant nutrimenta flammarum. Quoniam verò ut innuit Prophæta Psalm. 72. 10. reliquiæ cogitationis diem Festum Domino agere consueverunt,

rint, non erit difficile, reliquias cogitationum, & sanctorum desideriorum ex Oratione matutina transferre in obsequium certis Salutationibus Angelicis constans, Virgini persolvendum intrà eamdem diem, ubi tempus opportunum occurrerit.

Atque hæc de Titulo, Fine, & Usu Considerationum, quarum series hic eidem Benigno Lectori subijcitur.



IN-

INDEX MEDITATIONUM.

HEBDOMADÆ PRIMÆ.

HEB-

HEBDOMADÆ II.

HEBDOMADÆ III.

Me-

HEBDOMADÆ IV.

HEBDOMADÆ V.

um



INDEX

INDEX
Rerum præcipuarum hujus Opuſculi.

A

B

Cha-

C

pe-

D

E

F

Fa-

L

M

✠ † Mor-

O

P

Pec-

R

S

V

Ver-

FINIS.

Placet ultimò ad mentem in præindicatis Meditationibus exercendam subnectere septuplex VIRGINIS Patrocinium in unamquamque diem Hebdomadæ.

Præsidebit igitur Diei Lunæ.

Beata Virgo sine Labe Concepta.

Et à nobis tamquam Sanctitatis omnis, atque munditia Impetratrix implorabitur hac, vel simili Oratione.

Virtutum omnium, maximèque illibati Candoris Candidissima Parens, quæ sine macula hæreditariæ culpæ concepta gratiam in oculis Domini invenisti, antequam nascereris, per Immaculatam Conceptionem tuam impetra mihi, ut cor mundum creet in me, spiritumque rectum innovet in visceribus meis Author omnis Innocentiæ, & Sanctitatis Dominus noster IESUS CHRISTUS, Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sęcula sęculorum. Amen.

Præsidebit Diei Martis.

Beata Virgo ab Angelo salutata.

Summa precationis ad Virtutem Humilitatis, & Obedientia deposcendam poterit esse hujusmodi.

Do-

DOnorum omnium genere cumulatissima Parens, quæ Virginitate mirabiliter placuisti, Humilitate, & Obedientia mirabilius concepisti, impetra mihi spiritum veræ Humilitatis, & Obedientiæ, ut obsequium servitutis meæ gratum esse possit illi, qui cum in forma Dei esset in formam servi se ipsum exinanivit, factusque Hostia peccati pro peccatoribus Crucis ignominiam confusione contempta sustinuit, ut sicut acceperat mandatum a Patre sic faceret. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus &c.

Præsidebit Diei Mercurii.

Beata Virgo Elisabetham invisens.

Participatio Charitatis Apostolicæ postulabitur in hunc ferè modum prò arbitrio postulantis.

PUlchræ dilectionis Amantissima Parens, quæ Concepto Verbo in Montana cum festinatione abiisti, ut plena Deo aliis Divinæ Largitatis dona divideres, per ineffabilem illam Charitatem, qua cum adhuc inimici essemus dilexit nos Dominus, impetra mihi spiritum Charitatis Apostolicæ, nè in admirabile Lumen suum me frustrà vocaverit illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, propter salutem huma-

mani Generis Incarnatus, omnibusque omnia factus, ut omnes ad Patris agnitionem, cultumque perduceret, durissimaque servitute liberatos in Filios Dei transcriberet, habiturus tot Regni cohæredes, quot servos in libertatem Filiorum Dei vocatos, qui cum Patre &c.


Præsidebit Diei Iovis.

Beata Virgo Mater Domini in Cibum nobis, & Potum exhibiti.

Ad studium, singularemque sensum Pietatis impetrandum erga DIVINISSIMVM SACRAMENTVM dirigetur.

Oratio.

EX omnibus Virgo electa Virginibus, quæ tamquam Tellus intacta, nec aliundè, quam cęlesti rore fęcunda, nobis Frumentum pareres Electorum, Vinumque germinans Virgines omnibus abundè sufficeres; impetra mihi ab illo Spiritu, qui ventrē tuum fecit aceruum tritici undè aleremur, & viscera tua Fontem Vini Electi, undè inebriaremur, ut nihil magis esuriam, ac sitiam, quam Corpus, & Sanguinem DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. Qui cum Patre &c.



Præ-

Præsidebit Diei Veneris :

Beata Virgo Doloris Gladio trajecta.

Postulabitur desiderium ardens, & efficax, durissima quæque patiendi, semperque adhærendi Lateri Amoris Crucifixi.

Oratio.

REgis Dolorum Afflictissima Parens, cujus Animam in obitu Filii Gladius pertransivit, sed non separavit à Filio, per fortissimum, immobilemque Amorem tuum ergà Filium de Cruce pendentem, impetra mihi Amorem nullâ vi separabilem ab Amoris Latere de Cruce pendentis Domini nostri IESU CHRISTI: ut ego quoque de Crucis inimico, Amator Crucis effectus, dicere possim: Quis me separabit à Charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESU DOMINO NOSTRO. Qui cum Patre &c.

Præsidebit Sabbatho.

Beata Virgo, à Funere Filii solitudini, & Lacrymis indulgens.

Pœnitentia salutaris petitionem hodiernā continebit,

Oratio.

NOn innocentium solum, sed etiam pęnitentium Benignissima Parens, per amarissimas lacrymas, quæ tibi post obi-

obitum Filii fuerunt panes die, ac nocte, da obsecro capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut Cęlo tecum, terrâque lugente, ego quoque tanti causa męroris, & luctus lugere possim Dominum meum, Peccatorum manibus, quorum ego primus sum, Crucifixum, & mortuum. Qui cum Patre &c.

Præsidebit Diei Dominicæ.

Beata Virgo in Cęlum Assumpta.

Divinæ Gloriæ propagatio, illi usque propagandæ studium postulabitur in hac verba.

POtentissima Cęli, terrarumque Regina, quæ super omnes Angelorum Choros exaltata, Solio Divinitatis adstas in vestitu deaurato, circumdata varietate; ne recuses è tam sublimi fastigio in hanc lacrymarum vallem ora convertere, discussaque caligine Principis tenebrarum, universum Orbem, Cęlesti luce perfundere, ut Cęlesti Spiritu omnes agente, ubique Divina Majestas adoretur in spiritu, & veritate, nomenque SANCTISSIMÆ, & INDIVIDUÆ TRINITATIS, sicut in Cęlo, itâ sanctificetur in Terris, quas Pretioso Sanguine sanctificavit DOMINUS NOSTER IESUS CRISTVS. Qui cum Patre. &c.

Fa-

Facultas R. P. Joannis Petrobelli Soc. JESU in Provincia Veneta Præpositi Provincialis.

CUm Librum, cui titulus; *Corona Vitæ, complectens Meditationes &c.* à P. Petro Conteſſino noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate nobis à R. P. noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ità iis, ad quos pertinet videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.
Bononiæ die 26. Auguſti 1702.

Locus ✠ Sigilli.

Joannes Petrobellus.

Vidit

Vidit D. Sebastianus Giribaldus Cler. Regul. Sancti Pauli in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius prò Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Iacobo S. R. E. Cardinali Boncompagno Archiepiscopo, & Principe.

De Mandato Reverendissimi Patris Inquisitoris Generalis Bononiæ, attente perlegi Libellum cui Titulus Corona Vitæ *Auctore P. Contessino Soc. Iesu, nihilque in eo tortuosum à Chattolica Fide, aut bonis moribus obnoxium reperi, adeoque Prælo dignissimum censeo.*

Fr. Hyacinthus Pius Tabalius Ordinis Præd. Mag. ac Sac. Paginæ Interpres.

Stante supradicta censura.

Imprimatur.

Fr. Pius Fœlix Cappasancta Inquisitor Bononiæ.

HEB-

HEBDOMADÆ PRIMÆ,

Meditatio Prima.

De Initio, progressu, & Consummatione Sanctitatis Angelicæ.

1 MUndum visibilem prius condidit Deus tamquam rudem adhuc molem, & incompositam; posteà verò composuit, exornavit, perfecit. At Cœlum Empyreum videtur à prima rerum origine omni cum perfectione sibi debita edidisse, ut Spiritibus Immortalibus ab initio perfectissimis, & unà cum Cœlo conditis, Locus tamquam suis Habitatoribus esset consentaneus.

Innumeræ igitur Intelligentiæ tamquam Stellæ Matutinæ in suos ordines, stationesque dispositæ per immensa Cœli spatia lumen dederunt in Custodijs suis, & lætatæ sunt; vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus. Baruc. 3. 34.

Vocatæ nimirum sunt, non solum ad esse creatum, sed Divinum: Vocatæ sunt ad perficiendam in se ipsis Imaginem Augustissimæ Trinitatis, laudando, colendo,

omnique genere servitutis prosequendo Principium, Finemque ultimum suum; & dixerunt: Adsumus. Ideò omnes, & singulæ dederunt lumen Sapientiæ in custodiis suis. Singulæ citrà vllam discordiæ perturbationem suos ordines servaverunt: Singulæ omnia, quæ infrà sunt, & quod illud est non sunt, & se ipsas inter omnia contemnentes, luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.

Verùm quæ repentina caligo; atque calamitas sereniſſimam diem infecit? Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem. Non illos à lapsu continuit, Loci Sanctitas, non sociorum in benè cæptis constantia, non affluentia scientiæ, non vox omnipotens mentis auribus acutiſſimè insonans, & seditiosas cogitationes disiiciens, & perire volentes ad vitam vocans.

Quis igitur Hominum sibi audeat polliceri stabilem innocentiam, firmamque cum fine ultimo conjunctionem, vel quià Hierosolymis vivit ad Sepulchrum Domini, vel quià inter Sanctos, & quotidiana Sanctorum exempla versatur, vel quià sublimi dono Contemplationis eminet, vel quià laudabilem vitæ cursum instituit, aut etiam magna ex parte perfecit? Potentiſſimi Spiritus instabiles facti sunt, mutatique de optimis in deterrimos, quià Bono incommutabili sicut adhæserant, non adhæserunt. Victi sunt, quià se ipsos vincere neglexerunt. Quis enim præ cæte-

ris

ris Luciferum seduxit, quis vicit? Nullum habuit Authorem, nullum sceleris Hortatorem. Se ipsum, ipse seduxit, & vicit, & ab ultimo se fine separatione luctuosissima separavit.

2 Sed à lugubri, ad gratius spectaculum oculos convertamus, discamusque à melioribus Divinæ Sapientiæ Auditoribus luculentiora Sanctitatis exempla. Melior, & major nobilium multitudo spirituum in veritate stetit, quià nunquam oculos à veritate detorsit. In tanto Reipublicæ motu, in tanto rerum discrimine, tantoque certamine cum seditiosissimis Perduellibus, cæteros omnes ad defectionem sollicitantibus, qua hortando, qua increpando, qua deridendo, nullus è numero innumerabili mentis aciem deflexit à Deo. Indè tota, indè firmitas tanta.

O' Veritas! ò Summa Veritas, quę tantoperè Beatis mentibus placuisti! Tu Luce tua Ignem excitasti semper arsurum. Nullæ aquæ, nulla è toto Aquilone flumina exundantia Ignem hunc obruere potuerunt. Fęlicissimi Cęlitum Chori, semper ardete, sicut arsistis. De Luce semper ardete, de qua magis ardere voluistis, quam lucere. O' si nobis quoque ità lucere, ità liceret ardere! Sed numquid animus abiiciendus omninò est? Absit, quod ope nostra non possumus, Divinis Viribus assequemur.

Assequemur autem primò: Si ad Vires

Divinas obtinendas propitios habebimus Spiritus illos, qui primi omnium claritatem Lucis acceptæ servaverunt intactam, & Conditori suo non luxerunt, nisi ut arderent; & non cognoverunt in se, vel aliis Authorem omnium, nisi ut amarent ipsum propter ipsum, & omnia propter ipsum.

Assequemur secundò: Si quod benè placuit, constanter placeat; potissimum autem placeat in Veritatis contemplatione constantia.

Assequamur tertiò: Si constantiam ejusmodi non labefactabunt, aut bella hostium invisibilium, aut pravorum hominum dicta, facta, cogitata: aut opulentia divitiarum, aut aliæ cupiditates animum ad modum procellosi Maris, huc illuc agentes. Si veritates revelatæ per Fidem, & attente consideratę, adinstar Clypei nos teguut, juxtà illud ex Psalm. 90. 5. Scuto circumdabit te veritas ejus. Quantò magis circumdabit Veritas ipsa Infinita, die, ac nocte antè oculos posita? Quid nostram voluntatem separabit à fine, qui terminus est Amoris; si nihil separabit Intellectum à Veritate, quæ Principium est Amoris, non solum finiti, sed etiam Infiniti? O' Veritas tanti Principium Amoris! Illucesce menti meæ, ut nihil amem suprà Te. Nihil pręter Te. Et omnia in Te, & propter Te.

3 Sicuti Veritas indeficiens tantam Admiratoribus suis tribuit firmitatem, quià

quià indeficiens, & immutabilis est, ità singularem vitæ candorem largita est, quià Speculum fine macula est, & Candor Lucis æternæ. Quis mente assequi possit quam innocentem vitam traduxerint Beati Spiritus, dum adhuc Viatores Viam Mandatorum Domini cucurrerunt? Non declinaverunt ad dexteram, vel sinistram. Omnis illorum cogitatio fuit apud Altissimum. Sap. 1. 16. Omnis affectio rectissima, & ordinatissima inhæsit Altissimo. Nullus error intellectum decepit. Nulla culpa, licet levissima voluntatem infecit. Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent, quià nulla inconstantiæ nota, aut alio vocavit, aut ab opere inito retardavit.

Vitam vestram Candidissimi Spiritus nostræ componite. Bone Deus! Qualis; & quanta inter utramque distantia? Videte vestri cogitationes intellectus, & nostri. Cogitationes vestræ Sole nitidiores Cœlesti semper Sapientia refulserunt. Nostræ tenebræ fuerunt, & sunt. Cogitationes in malum intentæ omni tempore. Genes. 6. 6. Cogitationes sine intellectu. Cogitationes Prudentiæ carnis, quæ mors est.

Videte vota vestræ voluntatis, & nostræ. Quid vos voluistis? Quid nos voluimus? Operit confusio facies nostras, & quò se vertat miseria nostra non invenit. Quantum placetis, tantum displicet nobis nostra deformitas,

Atque utinam quantum fas est displiceret. Illam Benignissimi Protectores Vitæ præteritæ detestationem impetrate, quæ ad aliũ vitæ cursum instituendum est necessaria. Memores Beneficiorum ab initio conditionis vestræ acceptorum, memores Sapientiæ, memores Innocentiæ, & Charitatis, omniumque Operum, quibus Deo dicenti: Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum; perfectissimè parvistis: impetrate, ut easdem voces audiamus, iisdem vocibus pareamus, & cor mundum creet in nobis Deus, & Spiritum rectum innovet in visceribus nostris. Mentes nostras in illum convertite, in quem semper prospicere desiderastis, ut eumdem, & nos semper aspicientes, semper diligamus, & quem indè tenorem constantiæ, vitæque candorem hausistis, hauriamus.

4 Fuit vita vestra brevissima, sed brevitatem excellentia compensavit. Paucis momentis explevistis tempora multa, & cursu vix inito, longissimum iter emensi, bravium comprehendistis.

Nos verò tandiù viximus, & adhuc vivere non didicimus. Dies diebus succedunt, & noctes noctibus; ut diebus, & noctibus Laudes Dei concinentibus, nostras Laudes addamus; & nostri immemores muneris, mutique ad celebrandum Nomen illius, qui laudem perficit ex ore infantium, atque lactentium, omnibus diebus vitæ nostræ somno torpemus, & otio. Dies diei eructat Verbum. Ps. 18. 2.

Hoc

Hoc eſt unus dies peracto curſu, & prædicatione ſua tradit ſequenti diei Verbum prædicationis: & nox nocti indicat ſcientiam, hoc eſt, nox ſimiliter ſuo curſu perfecto, ac veluti Hymno cantato, tradit nocti ſequenti ſcientiam laudandi Deum, ut ſine ulla intermiſſione, diebus, & noctibus Choreas ducentibus laudetur Deus. Si hæc ità ſe habent, quì fieri poteſt, ut vita noſtra, quæ his diebus, quæ noctibus hiſce componitur, quid ſit laudare Deum in Cythara, & Pſalterio decem Chordarum, adhuc ignoret?

Conditi ſumus ad laudandum Deum, ex cognitione Creaturarum, quæ teſte D. Baſilio, & Auguſtino per cytharam ex inferiori parte reſonantem ſignificatur. Bellarm. in Pſal. 32. 2.

Conditi ſumus ad Deum voce, operibuſq; laudandum ex cognitione Scripturarum, quæ per Pſalterium reſonans ex parte ſuperiori, adumbrantur. At quid hactenus egimus? aut agimus? Numquid per ea, quæ facta ſunt, inviſibilia Dei conſpicere nitimur? Numquid ſcrutamur Scripturas, & jugi Divinorum Eloquiorum conſideratione, illum noſſe contendimus, à quo, per quem, & propter quem conditi ſumus?

Quid prodeſt diù vivere, & ità vivere? Momentum quodlibet ſemen eſt Æternitatis, & quidem, ſi volumus Æternitatis beatæ. Nam quæ ſeminaverimus, hæc, & metemus; quoniam qui ſeminat in car-

ne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in Spiritu de Spiritu metet Vitam æternam.

Animum intendamus in eos, qui consummato brevi temporis cursu, plura tempora expleverunt, paucisque præliis innumeros Hostes fuderunt, innumeras retulere victorias, ut horum, & præcipuè Angelorum exemplis excitati, quæ amisimus, reparemus; quæ inutiliter sparsimus, colligamus, & omni torpore seposito cursum acceleremus, donec comprehendamus: totaque contentione pugnemus, donec certantes legitimè coronemur.

5 Verùm qua rerum gestarum gloria excellere potuit Angelica Vita, ità exiguis finibus circumscripta? Vix enim aggressa certamen, coronata est. Dictu sanè mirabile est, sed extrà omnem dubitationem est Spiritus universos condignis operibus immensum gloriæ pondus assequutos fuisse, & ex iis quam plurimos, tot sibi merita comparasse, quot per multos annos innumeri Anachoretæ inter quercus, & fagos: in speluncis, & Cavernis Terræ: quot innocentes innumeri, quantò innocentiores, tantò austeriores, & Pœnitentiæ amantiores: quot innumeri Martyres compararunt, angustiati, afflicti, circumeuntes in melorii, in pellibus caprinis; in Carceres conjecti; Feris obiecti: è saxis præcipitati; securi percussi. Qua ratione gloriosi Triumphatores tot rerum gesta-

rum

rum gloriam paucis momentis, & æquaſtis, & ſuperaſtis?

Benedicant omnia opera Domini Domino, quià ità feliciter in hunc Mundum veniſtis, vidiſtis, viciſtis, & ità glorioſè viciſtis. Veſtra vobis decora gratulamur. & ex toto corde gaudemus.

Quoniam verò de illo, in quo ſunt omnes Theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei, ità divites fuiſtis, & eſtis; ad Pauperes, & Egenos benigna ora convertite, & egeſtati noſtræ conſulite. Ut autem libentius conſulatis:

Erimus primò accuratiores temporis Æſtimatores, atq; Cuſtodes. Nulla deſidibus, & nihil agentibus diei particula, quamtumuis minima præteribit.

Erimus ſecundò, Non ſolum Captatores, ſed Indagatores cuiuslibet opportunitatis, boniq; operis ad Majorem Dei Gloriam procurandam in nobis, & aliis.

Erimus tertiò, Ardentiores in agendo, quod agimus. Toto conatu, totis viribus inſudabimus vitiis exterminandis, virtutibus acquirendis, & præcipuè ſtudio rectæ intentionis, divinæq; Charitatis augendę, ſine qua nihil ſumus juxtà Doctrinam Apoſtoli 1. ad Chorint. 13. 1. dicentis: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero Prophætiam, & noverim Myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem

Fidem, ità ut montes transferam, Charitatem autem non habuero: Nihil sum.

6 Libet ultimò considerare Præstantissimi Spiritus, quo potissimum medio præter ea, quæ diximus, usi fueritis ad consummationem vestræ Perfectionis, & sanctitatis.

Singulare præ cæteris medium fuit, prudentissimus usus omnium mediorum, quibus ad hoc instructi fuistis, ut Sancti essetis. Media fuerunt nobilitas Naturæ vestræ, ab omni materia secretæ, Indolis Celsitudo, Perspicacia Intellectus, Robur Voluntatis. Media fuerunt tot vestigia Divinarum Perfectionum, in rebus conditis elucentium. Revelatio arcanorum mira luce mentes vestras perfundentium. Voces arcanæ Divini Spiritus vocantis, moventis, inflammantis, ad æternum Templum suæ Divinitati excitandum in vobis. His omnibus, aliisque nobis incognitis mediis sagacissimè vsi consumastis ædificium, quod intrà vos extruendum acceperatis. Nulli studio defuistis. Nulli oculos lumini clausistis. Nulli pepercistis labori.

Nos verò, quibus, ut infirmioribus, Divina Clementia multò plura media suppeditavit ad salutem, ad sanctitatem: ipsa beneficia convertimus in exitium Animarum nostrarum; & in dedecus, & injurias Donatoris. Acceperamus Corpus, vires, valetudinem, exteriores sensus, & interiores, vim intelligendi, liber-

bertatem, divitias, delicias, & quicquid habemus, & sumus ad Laudem, & servitutem Authori nostro exhibendam. Hæc omnia fecimus instrumenta peccandi. Bonum summum, & bona caduca novimus, & Bonum summum, & indeficiens Bonis vilissimis, & fugacissimis posthabuimus. Si non aspeximus, certè credidimus, Filium Dei in Terris visum esse, & cum Hominibus conversatum, & Crucifixum, & mortuum esse prò toto Mundo, & nobis: & antequam moreretur, lavisse pedes Discipulorum, & illis post Lotionem pedum se præbuisse manducandum, & bibendum, & nos ab eamdem Mensam sæpissimè sedimus, & sedemus: & adhuc vitiis omnibus obnoxii, adhuc superbi, iracundi, nostra quęrentes, Cœlo, terræq; dedecori sumus.

Proh dolor! Quandò evigilabimus? Quando Amor Æterni Boni, omnis alterius Boni Amorem extinguet, efficietque, ut nobis mori discamus à vobis, qui mortalitatis omnis expertes, ità Bonis omnibvs, vobisque mortui fuistis, ut viventem de vobis Hostiam, Sanctam, placentem, & in odorem suavitatis ardentem obtuleritis.

MEDITATIO II.

De Superbia Malorum, ac de Humilitate Spirituum Electorum.

1 Filius Dei humanam assumpturus naturam dum se per Fidem proponit Angelis paulò antè conditis, in speciem servi, quod erat multò post nobis clarè dicturus, illis dixit obscurius: Discite a me, quia mitis sum, & Humilis corde.

Non placuerunt Verba Sapientiæ Lucifero tanta Sapientia prędito. Cur autem non placuerunt? quia nimium sibi plecuit. Eleuatum est Cor tuum in decore tuo. Perdidisti Sapientiam tuam in decore tuo dicit Dominus. Ezechial. 28. 17.

Quid portentosius, quam pluris facere Sapientiam suam, quam Sapientiam Patris, & elevari coram Altissimo in terram vsq; dejecto? Nulla sanè huic audaciæ conferri potest audacia; quamtumuis Lucifer plenus esset decore, & omnis lapis pretiosus esset operimentum ejus, ut habetur Ezech. 28. 13.

Tu verò N. Peccator vilissime, Tu pulvis, & cinis. Tu putredo, & vermis, quid habes undè superbias? si esses plenus Sapiētia, si perfectus decore, si gemmarum omnium splendore pręfulgens, ut Lucifer; adhuc

huc deberes ad centrum usque terræ infrà pedes omnium Peccatorum caput demittere, tuamque indignitatem, & nihilum profiteri. Quid enim haberes, quod non accepisses? Jam verò quis ferat elationem tuam? Quis ferat extollétiam oculorum tuorum, à qua tantoperè desiderabat Sapiens liberari, Ecclesiastici. 23. 4. dicens: Domine Pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum, nempè inimicorum. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium averte à me.

Cum sis ità Pauper, & ità superbus, memor esto, quid dicat Spiritus Sapientiæ Ecclesiastici 25. 3. Tres species odivit Anima mea, & aggravor valdè Animę illorum. Pauperem supernum, Divitem mendacem, Senem fatuum, & insensatum.

Si quærat aliquis, quam ex classibus enumeratis magis oderit Deus, animadvertat primo loco recenseri classem Pauperum superborum.

2. Ad Superbiam totis viribus fugiendam, videamus, quot malorum origo fuerit superbia Regi super omnes filios superbiæ.

Malum primum ijs verbis exprimitur Ezech. 28. 16. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate. Negotiatio Luciferi, qua dedit operam, ut omnes socios in suam sententiam adduceret, & qua secum perdidit tertiam partem stellarum, replevit illius interiora ini-

qui-

quitate, non unius tantum sceleris, sed plurium, & ferè innumerabilium. Tot enim patràvit scelera, quot perdere voluit.

Timeant superbi. Elatus enim superbia præceps agitur in alia peccata plurima, quæ sæpè occultissima sunt, & ideò superbia dicitur implere iniquitate interiora peccantis.

Malum secundnm; Ejeci te de Monte Dei, & perdidi te de medio lapidnm Ignitorum.

De Cęlo superbus ejicitur, quià Deus superbis resistit, & Luciferi exemplo volentes in Cęlum conscendere, & super astra Dei exaltare solium suum, de sede sua deponit. Et perditur de medio Lapidum Ignitorum, hoc est spirituum charitate flagrantium: quià superbus non collocat sedem suam ad meridiem, sed in lateribus Aquilonis. Cupiens autem lucere magis, quam ardere, omnis caloris fit expers, geritque cor in visceribus suis rigidissimo gelu concretum. Si cor durum male habebit in novissimo. Ecclesiastici 3. 27. quid erit dicendum de corde, quod totius Aquilonis duritia obfirmavit in malo?

Malum tertium. In terram projeci te, ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te.

Quoniam superbus terrenis solum, & fluxis honoribus inhians, Terram Cęlo præponit, in terram projicitur cum ipsa terra calcandus, & conterendus. Rursum, quià magis optat videri, quam esse, & inani plau-

su, levibusque acclamationibus pascitur; omni vero honore spoliatur, & ante faciem Regum statuitur, hoc est omnium Justorum, qui verissimè Reges sunt, & Filij excelsi omnes: ut cernatur hnmiliatus, abiectus, omniq; dignus opprobrio, ac derisione. Neq; Risus rideri, neq; poterit contemptus iste contemni. Qualis erit confusio tua superbe Peccator in die novissima, in totius Orbis Theatro, coram Sapientissimis Regibus nullo errore deceptis, nulla perturbatione commotis, contemni eo contemptus genere, qui nulla poterit ratione contemni?

3. Malum quartum. In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.

Sanctificatio Luciferi fuerat eximia participatio illius sanctitatis, qua Filius Dei est speculum sine macula Dei majestatis, & Candor Lucis æternę. Turpitudo, & Immunditia superbiæ tantum Candorem Lucifero communicatum infecit spiritumque purissimum fecit immundissimum. Noluit Lucifer obsequium exhibere Sancto, Innocenti, Impolluto, segregato à Peccatoribus: ideò omni contaminatione pollutus, erit semper Peccator, & segregatus ab illo, qui peccatum non fecit, fecitque ut peccatum finem acciperet. Daniel. 9. 24. Quicumque de acceptis donis inflantur, totis artubus contremiscant; & quo sanctiores fuerunt, magis metuant. De mundis enim fient immundi, fient immundissimi. Cur enim illos, de quibus agit Apostolus, ad

Rom.

Rom. 1. 26. tradidit Deus in passiones ignominiæ? Cur tradidit in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis? nisi quià cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis?

Malum quintum. Producam ergo ignem de medio tui, qui comendat te,& dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.

Ignis, qui de medio Luciferi, omnisque Superbi producitur, est dolor, desperatio, horribilisq; tristitia, quę in morem ignis incendit, & comedit,& in cineres feræ nimis Pęnitentiæ resolvit Superbum, in conspectu omnium videntium confusionem intolerabilem,& inutilem Pęnitentiam. Superbi dum tempus habetis operamini bonum, & salutarem agite Pœnitentiam.

Malum sextum. Omnes, qui viderint te in Gentibus obstupescent super Te. Nihilifactus es, & non eis in perpetuum.

Omnes obstupescent, quod superbus ad Imaginem Dei conditus, & olim per Gratiam sanctificãtem signaculũ similitudinis, plenus sapientia,& perfectus decore,in tantam vilitatem, e tanta dignitate corruerit, dicaturque de illo: Nihilifactus es, & non eris in perpetuum.

Nihili fit, imò fit nihil superbus, quià si omnia, quæ sunt, se habent tamquam non sint, corã eo, qui solus est,qui est; quid erit

co-

coram Deo Peccator, & maximè superbus, cui melius, erat, si natus non fuisset? Nihil est, & nihil erit, & ideò illi dicitur. Non eris in perpetuum; quid enim esse potest, qui sine Deo est?

4 Vidimus Angelos de Cœli Aquilis versos in dracones deserti: Videamus Angelos de syderibus versos in rotas Diuini currus, de quibus dicitur Ezech. 1. 18. quod erant plenę oculis in circuitu, & quocumq; ibat Spiritus, illùc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.

Ideò ad prima Verba Domini dicentis: Discite à me, quià mitis sũ, & humilis corde, quid fecerunt, qui pleni erant oculis ad intuitum, & in modum rotarum maximè mobiles, ad motum Spiritus viuentis, & agentis, qui erat in ipsis? Numquid perturbati? Numquid indignatione commoti; quià Filius Dei non Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit? Numquid in ancipiti positi, quid sibi deliberandum esset dubitaverunt? Immò Divina Consilia reveriti, sub Potenti manu Dei sua Capita humiliaverunt, & cum fuissent à primordio suæ conditionis humillimi, facti sunt humiliores.

Quo enim studio humilitatis arserunt, considerantes per lumen Fidei, & Sapientiæ infusæ Filium Dei in formam servi exinanitum? Quod si ad formam servi mentibus suis obiectam, tanta admiratione defixi sunt: quid illos fecisse credamus, ad spe-

ſpeciem peccatoris? Quid ad ſpeciem peccatoris è Cruce pendentis, & morientis in Cruce, & in Sepulchro jacentis?

Miremur, & nos, quod Angeli mirati ſunt, & conemur diſcere, quod illi didicerunt. Pluribus enim, & gravioribus rationum momentis nos ad id urgemur, quam illi. Noſtram enim ille ſubſtantiam aſſumpſit, non illorum. Deindè loquens de nobis dixit. Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Nuſquam ſimile de Angelis affirmauit: denique, vt alia omittamus, prò Peccatoribus Hominibus mortuus eſt, non Angelis: & quidem prò illis ipſiſſimis mortuus eſt, à quibus occiſus eſt: ut omnes ad ipſius normam paruuli efficeremur, & ſic ipſo Viæ Duce, ipſo Auſpice Regnum eius intraremus.

5. Sed ut redeamus ad Angelos Verbum Carnem factum conſiderantes, & illius verba ad humilitatem diſcendam exhortatoria excipientes, illud prætereà attendamus, quod nō inania ſolum, & inefficacia Humilitatis deſideria conceperunt, ſed Amore Domini mortalitatem noſtram aſſumpturi, & opprobrijs ſaturandi, & mortem acerbiſſimam oppetituri, ad infima quæque miniſteria ſe obtulerunt, & propter ipsū, & propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.

Non ſolum igitur Humanitati aſſumptæ cultum omnem exhibuerunt: Non ſolum Diuinam Parentem in Reginam, ac Dominam ſalutarunt. Non ſolum Apoſtolos Martyres, Sanctoſq; omnes, tamquā ſocios,

& Re-

& Regni consortes totis viribus complexi sunt: sed Peccatoribus omnibus custodiendis, erudiendis, & ad omnem virtutem informandis, sedulam se navaturos operam spoponderunt.

Discamus primò à BB. Spiritibus singulare studium Pietatis ergà Dominum Incarnatum, nobiscum agitâtes, quo ingrati animi vitio hactenus laboraverimus erga tot Beneficiorum Authorem, nostræque Naturæ in se ipso Exaltatorem: quia parvuli humilitate non fuimus, & illius parvitatem, ingratissimè simul, & superbissimè parvipendimus.

Discamus secūdo Omne genus obsequii, & Subiectionis erga Virginem Matrem, cæliquе Curiam vniuersam, Beati Spiritus Matrem Domini vix cognitam, & solum in Spiritu, & fortasse valde obscure cognitam, ità enixè coluerunt; nos verò totam illius vitam apprimè tenemus, & ità frigidi sumus in colendo, & illi seruiendo, quam ità sæpè contemplati sumus, aut Filium parientem, aut in Templo Patri offerentem, aut Hierosolymis amissum quærentem, aut Crucifixum, extinctumque lugētem. Quod de Regina Sanctorum diximus, de Sanctis omnibus proportione servata dicendum.

Discamus tertiò Implere desiderio, quod opere exercere non possumus. Nondum erant Peccatores, nondum terrarum orbem repleverant ærumnis, lacrymis, & peccatis suis; & nihilominus Benignissimi nostræ Mortalitatis Amatores, omnium Incolu-

lumitati consulere desiderarunt, omnium Ignorantiam depellere, omnium lateri adhærere, omnium Infirmitatem portare, omnes à vitijs ad Virtutem, à Morte ad Vitam, à Carcere ad Regni solium traducere.

Et nos igitur studio Humilitatis simul, & Charitatis, quibus Peccatoribus opem reipsa ferre non possumus, feramus precibus, gemitibus, sanctisque desiderijs. Et quidem feramus opem omnibus vbique terrarum degentibus, omnibus licet vilissimis, flagitiosissimis; perditissimis: omnibus, quamtumvis rebellibus Lumini, rebellibus Deo, Inimicis omnis Iustitiæ, Inimicis Ecclesiæ, & præ omnibus Inimicis nostris. Sic Humilitatis, & charitatis Angelicæ Imitatores, non exigua nobis prò nostra tenuitate, merita comparabimus.

6. Unum adhuc in Sanctis Angelis ad illorum Humilitatem, & Sanctitatem perspiciendam attendamus. Non erant dolorum Corporeorum capaces, & mortis: sed quià tristari poterant, & haberi contemptui & fœlicitate carere: & ex alia parte cogitantes Dominum, qui voluit prò Peccatoribus pavere, tædio, & mœrore confici, & opprobrijs saturari: ardentissimè desiderarunt illius exemplo tristitiam experiri: desiderarunt haberi contemptui, & ipsa Beatitudine, si licuisset, carere, vt omni gloria spoliati Divinæ Gloriæ cooperarentur, & omni confusione repleti, æterna confusione peccatores eriperent. Si enim Apostolus

lus cupiebat Anathema esse prò Fratribus suis: & si Moyses. Exod. 32.31. dicebat ad Dominum: Obsecro, peccavit Populus iste peccatum maximum; feceruntque sibi Deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam: aut si nō facis, dele me de Libro quem scripsisti. Si dicebat inquam hoc Moyses, quid non dixisse censebimus Sacratissimos Spiritus demirantes Filium Dei è Cœlo demissum in terras, ut Cœlo Terras inferret; factumque Hominem Pauperem, contemptum, opprobrium hominum, & abiectionem plebis, ut Hominem exaltaret?

Singula perpendamus, & è singulis fructum aliquem decerpere enitamur, illud præcipuè præoculis habentes, quod si digni omni Gloria, omni veneratione, omni fœlicitate non recusarunt, immò, quantum in ipsis erat enixè optaverunt nesciri, prò nihilo reputari, & haberi contemptui, omni confusione repleri, Amore Immortalis, Mortalitatem Induti; amore Summi Divitis, ad summam egestatem redacti; Amore Sapientis, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, prò stulto habiti: Cur nos omnis ludibrii impatientes sumus qui digni sumus omni ludibrio? Cur sapientes haberi volumus, qui sumus insipientissimi? Cur nos inanis Gloriæ ità cupidi sumus, quos manet, nisi contracta debita oblitterentur, æterna confusio?

Et quidem ità leves, ità superbi sumus, postquam Ille, qui summus est, factus est omnium Infimus; & postquam ad Altissi-

mi pedes ità demissi, vidimus Gloriosissimos Cœli Principes, una cum Principe suo Michaele demissos, humiliatos, & abiectis coronis abiectos.

MEDITATIO III.

De Charitate Domini.

Humanam assumentis Naturam Relucente in Charitate Beatorum Spirituum.

1 ARchangelus Gabriel à Deo mittitur in Civitatem Galileę cui nomen Nazareth. Lucæ 1. 26.

Non egrè fert Princeps clarissimus in terras è Cœlo delabi, desertaq; Civitate auro, gemmisq; fulgente intrare Nazareth, intrare domum luteam, angustisque exceptus parietibus Legatione sua defungi, ut imperata faciat, & Mundo jacenti succurrat. Ità sui Principis est amans Orator, & propter Principem Amator est Mundi.

Verum quid isti Charitati commune, cum Charitate Verbi carnem induentis? Ille de Cęlo venit in terras, de Beata Hierosolyma in Oppidum Nazarenum, de Palatio Regis æterni in pauperculæ Domum: At Verbum de sinu Patris, venit in sinum Vir-

Virginis, & magni consilii Angelus angustissimi sinus receptus Hospitio, ostendere incipit suæ Latitudinem Charitatis, & Patris sui apud nos Legatum agere.

Magna sanè distantia inter Cœlum, terrasque, inter Omnipotentis Regiam, & exiguam, pauperemque domum, quam Cœlestis Nuncius, qui Fortitudo Dei nominatur, ingreditur. Sed quantò major distantia inter sinum Patris in quo, & ex quo nascitur Deus de Deo, Deus verus de Deo vero: & sinum Virginis, ubi concipitur Filius Hominis Mortalis, de mortali, Infirmus de infirmo? O' altissimam Charitatē è summa Celsitudine se demittentis in profundissimam nostræ mortalitatis profunditatem! O' Charitatem Immensam de Immenso in formam pulveris exinaniti!

Quid agimus pulvis, & cinis antè Dominum ità nostri pulveris Amatorem, ut non solum pulvis fieri voluerit; non solùm pulvere nostro in morem Pęnitentis caput aspergere, totoque vitæ tempore propter peccata, quæ non fecerat in pulvere jacere; sed prætereà in pulverem redigi, & posse dicere ad Patrem suum: In pulverem mortis deduxisti me: Psalm. 21. 16. ut nos de pulvere suscitaret, & qui pulvis sumus, esse pulverem dedoceret?

Cur ergo pulvis, & umbra, non amamus Lucem Sapientiæ, cur non amamus divitias Bonitatis illius, qui nostras tenebras, pulveremque ità dilexit? Cur non ama-

amamus Naturæ ſublimitatem; Cur Immenſitatem Amoris non diligimus, quo ille noſtram vilitatem, noſtraſque ita dilexit anguſtias? Ille deſcendit ad nos, ut aſcendamus ad ipſum. Exinanitus eſt in nobis, ut in ipſo magni efficiamur. A' nobis igitur aſcendamus ad ipſum. Et contemplando, & amando, & ipſi in ſalutem Animarum cooperando magni efficiamur per ipſum, & in ipſo.

2 Lucæ 1.28. Ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena &c. Ne timeas Maria &c.

Facundus Orator humani Generis cauſam ſtrenuè peracturus, ex mente Regis, à quo mittebatur, timentem bono animo eſſe jubet, præſentia ſimul, & futura bona recenſens, quibus dubitantis animus poterat confirmari. Præſentia ſunt; Inveniſti gratiam apud Deum; præter illa, quæ jam commemoraverat dicens: Aue Gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. Futura ſunt: Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM; Hic erit Magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Utroque argumento nititur confirmare dubiam, & inducere ad dicendum: Ecce Ancilla Domini.

Quot,& quanta debemus amabili planè, amantique Legato, qui tanta dexteritate noſtrum agit negotium? Sed quantò plura debemus Verbo? Angelus exterius, Verbum loquebatur interiùs. Dicebat Angelus:

gelus: Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Dicebat Verbum: Ego sum. Noli timere. Invenisti gratiam apud Patrem meum. Invenisti gratiam apud me. Noli timere. Angelus loquendo, suadebat. Verbum loquendo faciebat, quod loquebatur; donec ad illa verba jam corde concepta, & jam jam de ore Virginis erumpentia; Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; Verbum caro fieret, & per quod facta sunt omnia, omnia reficerentur, & cum aliis ego reficerer, cunctisque in melius restauratis dici posset: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & mirabilius refecerat, & erant valde bona.

Per ineffabilem istam, cui nihil addi potest, Charitatem, refice Domine in me opus, quod ego perdidi. Destrue quod ego feci. Renova, quod ipse fecisti. Cor mundum crea in me, ut possim diligere Te, cuncta restaurantem exinanitione tua. Spiritum rectum innova in visceribus meis, ut rectus Rectitudini tuæ cohærens loqui non desinam ad Te, qui cuncta loquendo fecisti, & perdita reficiens, meliora fecisti.

Ut Cor mundum crees in me, projiciam à me omnes iniquitates meas, recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ, & erunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. Psal. 41. 8.

Ut spiritum rectum innoves in visceribus meis, cupiditates omnes distortas

exuam; ambulabo coram Te simplici corde, per vias rectas, per semitam mandatorum tuorum, Unum cogitans, Unum quærens, ad Unum, in quo sunt omnia, suspirans, & aspirans.

Ut annumeres me operibus locutione tua factis, & refectis, aperiam aures loquenti, ut seriò intelligam, quid servo suo loquatur Dominus meus.

3 Dixit MARIA ad Angelum: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus. Lucæ 1. 38.

Magna sanè Charitas Angeli, qui à cœptis non destitit, nisi postquam consensum, quem intendebat, expressit. Quid dixerit, & quid egerit, notum est. Quomodò verò, & quo affectu causam demandatam egerit, quo studio desideraverit omnibus, & singulis, & maximis peccatoribus opitulari, & omne genus Justitię, virtutisque in Orbem sceleribus coopertum introducere, ignotum est. Mensuram ardentis animi unusquisque desumat à Charitate, qua Sacratissimus Spiritus Verbum complectebatur, totumque Mundum Peccatorem propter Verbum.

Sed quid sunt hæc omnia, si cum illa Charitate componantur, de qua dixit Dominus. In Charitate perpetua dilexi te? Jeremiæ 31. 3. Illud potissimum attendatur, quod Angelus sua legatione functus discessit. Non sic Magni Consilii Angelus missus à Patre. Non solum stat ad ostium,

& pul-

& pulsat. Non solum petit ut sibi aperiatur. Non solum patienter expectat ad januam. Sed reserata janua ingreditur, ingressusque non discedit, postquam consensum, quem desiderabat, obtinuit. Gabrielem Archangelum ad multas horas locutum esse cum Virgine aliqui arbitrantur. Angelorum Dominus novem Mensibus in Utero Virginis manet. Et Uteri Virginalis non horret angustias, non tenebras, non incommoda: & nobiscum futurus vsque ad consummationem sæculi sub specie panis, & vini, incipit habitare nobiscum, in verissima forma Infantis, quamuis Infantiam nescientis. Erat enim Verbum Infans vir perfectus ratione Sapientiæ etiam humanæ, & Sanctitatis. Et hoc ipsam magnitudinem Charitatis ostẽdebat. Nam sub Infantis exuviis vir perfectus in Matris alvo molestias experiebatur, quas cęteri ignorant Infantes. Non discedit tamen, sed manet.

Veni Domine ad me, & ne discedas à me. Magna postulo, sed à magno; & magnitudinem omnium iniquitatum mearum, & magnitudinem indignitatis auferre potente. Magna postulo, sed ab illo, cuius magnitudinis non est finis, & cuius Charitatis latitudo, tanta est, quanta est altitudo, & longitudo, & profundum.

Ut non discedas à nobis, non discedemus à Te, sed manebimus in te semper cogitando de Te, & amando latitudinem, & longitudinem Amoris tui, altitudinem, & profundum.

4 Divus Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 29. Sic sunt, inquit, Angeli nostri, qui sunt Angeli Dei, quemadmodum Christus Dei, Christus est noster. Dei sunt, quià Deum non reliquerunt. Nostri sunt, quià suos Cives nos habere cęperunt.

Si Angeli Dei sunt, & nostri sunt; non solus Archangelus Gabriel Virginem salutavit antequam Verbum Caro fieret. Cęteri etiam Angeli salutarunt. Ille quidem sub specie visibili. Hi verò invisibiliter. Igitur Magni Oratoris comites, allocutione sub sensum non cadente Virginem allocuti sunt, Invisibiliter ab ea consensum expetiverunt, Invisibiliter quicquid ille cogitavit, dixit, perfecit, approbarunt amore Verbi, & amore Mundi propter Verbum dilecti.

Gratias adiutoribus nostris agamus, & miremur in singulorum cordibus illum ignem ardere, quem communis Dominus mittere venit in terras, & uult ubique vehementer accendi. Ipsi antè Homines incendium amabile experti sunt; & quia ipsi esca sunt Amoris sui, ideò nunquam alimentum concepto semel non suffecit incendio. Ideò tàm ardenter optarunt Adventum ejus in Mundum, qui de Cœlo missurus erat ignem, quo Cęlum ardet.

Si tales flammæ è spiritibus singulis, tamquam ruptis montium fornacibus exundabant, quali, quantoque Amore flagravit Ille, ad cujus flammas nullis finibus circumscriptas omne evanescit incendium,

dium, in morem scintillæ tenuis, & in ipso morientis exortu?

O' Amor Cœli, Terręque! O' Amor Angelorum, & Hominum! O' Amor Patris tui! Sicuti Cœlum, ita igne Amoris tui Terras incende. Discant Terræ, discant rupes, & saxa, discant Maria durissima glacie rigentia, Te diligente, diligere diligentem. Feræ sumus Peccatores omnes, feræ indomitæ, & ad omnem indociles disciplinam. Rupes inhospitæ sumus, & saxa, nulli operi, nulli malleatoris ferro, nulli idonea tunsioni. Denique quid remotius ab amando, quam Cor Impii, sive dicatur Mare ferveas cupiditatibus suis: sive dicatur Mare Glaciatum obcæcatione intellectus, & obfirmatione voluntatis in pacto cum Morte inito?

Hæc omnia sumus, Fili Dei summa dilectione digne. Hæc omnia sumus. Sed si vis desinemus esse quod sumus, & amabimus Te, qui fecisti ut essemus, primò quidem venientes in hunc Mundum: postea verò longè perfectiori modo, Te in hunc Mundum veniente. Venientes enim in hunc Mundum illuminasti. Veniens in hunc Mundum inflammasti; iis exceptis, qui acceperunt in vano animam suam. Fecisti ut essemus ad intelligendum, & diligendum. Ne proiicias nos à facie tua inter eos, qui oculos declinaverunt in terram, ne Te intelligerent, neque diligerent.

5 Ex Angelis, qui obsequium invisibi-

le exhibuerunt Reginæ, Regique Mundi, principem, locum obtinet Princeps Celestis Militiæ. Qui enim à die conditionis suæ prò Gloria Verbi in hunc Mundum sub humana specie venturi pugnávit adversus Draconem: quid egisse arbitrabimur quo tempore de ineffabilis executione consilii agebatur cum Virgine caput contritura Serpentis? Qui primus obstitit nefario Desertori, qui primus in officio continuit majorem, & meliorem partem Exercitus Dei Exercituum: Qui primus dixit: quis ut Deus, undè & nomen sortitus est, prædicans, & amans, & ad amandum inflammans Magnitudinem, Majestatem, Potentiam, Sapientiam, Sanctitatem Dei in se ipso; & eadem contentione vocis, atque facundię, prædicans exinanitionem, Parvitatem, Paupertatem, Infirmitatem Dei extrà se ipsum, in assumpta videlicet Natura: quo ardore præ omnibus aliis Angelis audire optavit à Vergine: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum? Ad hæc enim verba ille concipiendus erat, per quem ipse in veritate stetit: per quem socios suos secum in veritate stetisse gavisus est: per quem Homines Angelorum Concives, & Regni Cohæredes, immò ipsius Christi Cohæredes, erant efficiendi?

Si omnia Luciferi decora, immò longè plura, & perfectiora Michaeli collata sunt: si omnis lapis pretiosus operimentum ejus; si præ omnibus fuit, & est si-

gna-

gnaculum similitudinis, plenus Sapientia, & perfectus decore, quinam ex omnibus Filio Dei similior Michaele? Et quidem, similior magnitudine, similior parvitate, similior Charitate?

Ità planè est. Meminerimus tamen similitudinem istam, infinita distantia distare à Magnitudine, à Parvitate, à Charitate Verbi Omnipotentis exinaniti in formam Servi, & in utraque Natura ineffabiliter amantis Opera manuum suarum.

Ego Domine Deus meus contendo cognoscere Te in operibus manuum tuarum, & præstantissima eligo ad Te cognoscendum in ipsis, & ex ipsis: & licet multum caliginis offundant menti meæ peccata, mea, cognosco tamen Te, juvante Te, quantum patitur tenuitas mea, & longè magis, quam merear, cognosco Te, sed non amo Te, ità vehementer amantem Mundum Peccatorem, & me. De Luce, qua illuminas me gratias ago. De ardore, qui culpa mea non sequitur ad Lucem, hanc, multum doleo. Quid agam, ut amem?

Desinam primò amare me, quià ego sum ille peccator, amore cujus perditissimo, non amavi Te.

Deindè ut desinam amare me, considerabo me. Considerabo vilitatem, paupertatem, deformitatem Animæ meæ, licet ità fuerit pretiosa in conspectu tuo. Utinam juxtà Doctrinam tuam, oderim Animam meam in hoc Mundo, ut eam

in vitam æternam custodiam.

Denique, ut incipiam diligere Te, persequar quantum potero vestigia pulchritudinis tuæ in Operibus tuis; & præcipuè, post Matrem tuam, omnia inferiora mirabiliter complectentem, in Archangelo Michaele, quem ità similem Tibi fecisti. O' si ad cognitionem tui in Operibus tuis cum Beatissimo Archangelo exclamarem: Quis ut Deus? Quis ut Deus?

6 Unum adhuc discrimen, inter Charitatem Angelicam, & Filii Dei, libet advertere. BB. Spiritus Michael, Gabriel, cæteriquæ dilexerunt Peccatores adhuc incognitos, vel certè obscurissimè cognitos: At Filius Dei secundum utramque Naturam Divinam, & Humanam, exactissimè perspectos habuit, & nihilominùs perfectissimè dilexit. Vidit singulos; vidit singulorum dicta, facta, cogitata, vidit sibi adversantes, sibi manus violentas afferrentes, omne genus injuriæ irrogantes: non idcircò tamen decrectavit naturam nostram induere, & in Utero Virginis exinaniri, & nesciri, & haberi contemptui, ut prodesset inimicis suis, proditoribus, & interfectoribus suis.

Vidisti ergo Domine JESU Mundum, & ità dilexisti Mundum cum Patre tuo, ut sicut ille dedit Unigenitum suum, ità Unigenitus ejus dederis te ipsum, prò Mundi Vita. Et quod magis in admirationem me rapit: vidisti me, qui Mundi pars sum minima quidem, sed pessima,

& ama-

& amasti me. Vidisti omnes dies Vitæ meæ: Tibi numerati fuerunt omnes capilli Capitis mei: Nulla te latuerunt opera manuum mearum: omnes recessus cordis mei, tibi nudi fuerunt, ac aperti; & amasti me: & sicuti prò toto Mundo, ità voluisti exinaniri prò me; ut ab inanitate mea ad plenitudinem tuam me traduceres.

Utinam de plenitudine ista possim accipere, ut plenus Studio Humilitatis, Studio Sapientiæ, Studio Charitatis, despiciam me, noverim Te, diligam Te, & neque me, neque aliud quodlibet, nisi propter Te.

MEDITATIO IV.

De Christo Domino

In Ultima Cœna dicente Discipulis suis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

1 QVis est, qui dicit: Desiderio desideravi, hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar? Lucæ 22. 12.

Ille nimirum est, qui Aggei 12. 8. dicitur, desideratus cunctis gen-

tibus. Et Genes. 49. 26. Desiderium Collium æternorum. Et Cantic. 5. 16. Totus desiderabilis. Et prima Petri 1. 12. In quem desiderant Angeli prospicere.

Dicitur desideratus cunctis Gentibus, quia Gens omnis, quamtumuis Barbara, & exlex semper desideravit Regem, in quo omnes dotes Regiæ eminerent. In solo autem Christo eminere potuerunt, & possunt.

Dicitur Desiderium Collium Æternorum hoc est Angelorum, atq; Sanctorum, qui ex omnibus Inferioribus tamquam vallibus in ima depressis assurgunt eminentia Sapientiæ, & Sanctitatis, & semper assurgent: ideò dicuntur Colles Æterni.

Dicitur totus Desiderabilis, quià sivè consideretur Divinitas cum omnibus Attributis suis: sive Humanitas cum omnibus proprietatibus, & effectibus suis; nihil est in ipso non summè amabile.

Dicitur vltimò. In quem desiderant Angeli prospicere, quià quantò magis Incarnati Verbi Pulchritudinem Angeli admirantur, tantò magis contemplari cupiunt. Sicut enim alloquium, & convictus Sapientientiæ non habet amaritudinem, ità non habet fastidium, & satietatem.

Quid ergò Boni desiderat, qui habet omnia Bona in se ipso, & à se ipso? Desiderat Pascha manducare cum Discipulis suis. Nullo indigens Bono, hoc Bonum desiderat, non sibi, sed suis. Imò & sibi, & suis. Bonum enim suorum, suum arbitratur.

tur. Et quoniam Illius sunt quotquot per Discipulos ejus crediderunt, & credunt in ipsum, ideò quod Pascha desiderat manducare cum Discipulis suis desiderat etiam manducare nobiscum.

Si hoc ità se habet, cur ità frigidè cupimus esse, loqui, ad mensam cum illo sedere qui tam ardenter optat esse, loqui, & nobiscum ad mensam discumbere?

Si deposita veteri, novam rationem vitæ instituere volumus,& in primis quidem si volumus esse cum illo, qui de hoc Mundo non est, desinamus esse de hoc Mundo, licet aduc in Mundo esse necesse sit.

Si loqui cupimus cum dicente: ducam illam in solitudinem,& loquar ad cor ejus. Oseæ 2. 14. non ità solitudinis inimici simus, ut soli cum solo in solitudine Cordis loquamur. Sic nunquam erimus minus soli, quam cum ità soli erimus.

Si denique flagramus desiderio Mensæ Dominicæ, cogitemus sæpè, & intelligamus quam diversis Dapibus instruatur Mensa Domini, & Mensa dæmoniorum.

2 Quid autem est Pascha, quod manducare desideravit cum discipulis suis?

Pascha, ut plurimùm significat Sacrificium Paschale,sive Agnum Paschalem, qui quotannis immolabatur in memoriam Angeli percutientis Ægiptios, parcentis autem Primogenitis Israelitarum, quià cæsi Agni sanguis postibus, & supliminaribus Domorum Hæbrearum erat asperlus.

Et quoniam Agnus iste figura erat veri

Agni prò nobis immolandi, & in Altari Crucis assandi, & nobis sub speciebus Eucharisticis apponendi, ideò, non tam desideravit comedere cum discipulis suis Agnum figuratiuum, quam figuratum.

Desideravit ergo sedere nobiscum ad illam mensam, in qua non legalium Hostiarum carnes manducantur, sed in qua Agnus ille Immaculatus comeditur, quem postquam omnis credentium populus manducavit, ipsissimus, qui sacrificatus est Agnus, & comedentibus distributus, integer perseverat, & viuus. Quid mirabilius nobis optari potest, & quid majus? Quid enim mirabilius victima, quę quotidiè sacrificatur, & nullum vitæ patitur detrimentum: & cum vna sit, tot Mensas instruit carnibus suis, quot sunt Fidelium Ecclesiæ toto Orbe diffusæ? Porrò, quid majus illa, quæ continet id, quo majus excogitari non potest. Cur igitur non desideramus, quod summè desiderabile est, & quod nobis desiderat, qui totus desiderabilis est, & qui nihil magis desiderat, quam desiderari?

Ad hoc desiderium excitandum in nobis utamur primò lactucis agrestibus, sinè quibus Paschalis Agnus non comedebatur. Amaræ Lactucæ Pęnitentiæ ad Palati nauseam depellendam utiles erunt.

Utamur secundo Baculo paschalem victimam comedentium. Accedamus ad Mensam Domini cum Baculo Crucis, illum tenentes manibus, & illi subnixi. Geramus Domini Crucem, non in ore solum, & corde,

de, sed in manibus, agendo, & patiendo, & Christi Passionibus communicando.

Vtamur tertio. Zona ad renes succincta, pedumque calceamentis, tamquam iter acturi ab exilio ad Patriam, à terra captivitatis, ad terram melle, & lacte manantem. Si hæc erunt desideria cordis nostri, sicuti desiderabimus Patriam manentem, ità desiderabimus Cibum, qui non perit, sed manet, & sine quo nihil manet.

3 Ubi dicit Dominus: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum?

Dicit in Cęnaculo grandi, strato repræsentante primò quidem Ecclesiam Militantem longè, atèque diffundendam; Deindè Triumphantem longè majoribus spatijs dilatandam, majorique gloria cumulandam. Ad Cęnam igitur ultimam nobis instruendam utitur Cęnaculo grandi, strato, ut locus ipse & latitudinem, & exquisitam rationem sui Amoris ostendat; Amoris videlicet ad omnes Fideles Viatores simul, & Comprehęnsores extensi: atque adeò non solum usque ad consumationem sæculi, sed in perpetuas æternitates duraturi. Sedent enim, & sessuri sunt ad Mensam eamdem Viatores, & Comprehensores. Diverso quidem modo illis, & istis cibus apponitur. Cibus tamen idem est, quo utrique convivæ recreantur. Cibus idem est, per quem Ille manet in nobis, & nos manemus in ipso. Et si Beatis Comprehensoribus annumerabimur, semper, fęliciterque manebimus.

Vide Anima mea, quibus desiderijs possit, ac debeat ineffabili desiderio responderi. Effice de corde tuo Cęnaculum non angustum, sed grande, illum exceptura, qui stat ad ostium, & pulsat, & intrare desiderat cęnaturus tecum. Noli illiberaliter agere cum Hospite latissimi cordis. Noli dicere. Hoc quidem faciam, sed illud non possum. Si, & illud petat à te, quod non posse tibi videris: dilata cor tuum, & poteris, illo juvante, quod non potes, & poteris, illo volente, velle quod non vis.

Adiunge latitudini cordis ornatum. Sit cęnaculum non solum grande, sed stratum. Mensas tegant munda mantilia, omniumque Virtutum supellex sit mundissima. Relinque suam munditiem Scribis, & Pharisęis, qui mundabant, ut innuitur Matthæi 23. 25. quod deforis est Calicis, & Paropsidis: intus autem pleni erant rapina, & immunditia. Absit à cęnaculo tuo ista mundities immundissima.

Decentiæ denique istius ornatus accedant prò tua tenuitate deliciæ. Sternatur floribus pavimentum, totaque domus vernis odoribus fragret. Fragrabit autem, si tu Anima mea secundum Apostoli documentum, eris bonus odor Christi.

4 Cur antequam patiatur desiderat Dominus Pascha manducare cum Discipulis suis?

Desiderat primò, ut intelligamus, quam libenti animo patiatur. Ad ostendendam enim diei celebritatem, & pompam, solent in-

instui Convivia magis splendida, atque solemnia. Quam igitur suæ Passionis dies Domino debet esse lætus, atque Solemnis, ad quem celebrandum ità celebre Convivium instituit? Poteſtnè Convivium excogitari dapibus magis peregrinis, & exquisitis instructum? Si ergo lætitia, qua dies aliquis celebratur, tanta est quanta est magnificentia Convivij, quod ad celebrandum diem apparatur, quibus finibus contineri potest ista lætitia, si Cęna, quæ præmittitur ad significandam lætitiam, infinita est, immensa est, ipse Christus est, quantus est?

Si grati esse volumus Authori Convivij, quanta pati, & quam libenter mori consentaneum esset, prò illo, qui ad gaudium, quo patiebatur, & moriebatur prò nobis declarandum, in unius tantum cęnæ apparatu, omnes thesauros Sapientiæ, & Scientiæ suæ, omnes divitias suæ Bonitatis expendit, ità ut nihil superfuerit profundendum? Quid enim illi poterat superesse, qui non solum quicquid habebat, sed quicquid erat effudit? Ut participes esse possimus gaudij in durissimis quibusque tolerandis, frequenter ad illam mensam accedamus, in qua manducatur, & bibitur Gaudium universæ terræ. Si dat se ipsum, dabit, & gaudium, quo pati, & mori quotidiè in nobis ipsis possimus prò ipso.

Desiderat secundo manducare Pascha cum Discipulis suis, antequam patiatur, ut Fideles doceat quanti momenti sit, habe-

re in conspectu Mensam, imò discumbere ad mensam, quam ille paravit in conspectu nostro, adversus eos, qui tribulant nos. Sicut enim ille proposito sibi gaudio Crucem sustinuit, confusione contempta: ad Heb. 12.2. ità nos proposito gaudio mensæ Dominicæ, ad mortẽ, & omne genus adversitatis perferendum armamur cõfusione, & omni tribulatione cõtempta. Quod gaudiũ sibi proposuerit ad Crucem sustinẽdam cõfusione contẽpta novit Apostolus, qui scripsit. At præter gaudium paternę voluntatis implendæ, & præter aliud quodlibet nobis inexploratum, non omittendum sanè illud, quo de suo Convivio gavisus est innumerisque undique evocandis, & Convivio adhibendis, & in Authorem Convivij mutatione mirabili transformandis iuxtà illud. Cresce, manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.

Desiderat tertio Pascha manducare cum Discipulis suis, antequam patiatur, ut ostendat, nullam malorum impendentium atrocitatem sibi impedimento esse, quin accuratissimè cogitet, non solum de salute, sed de summa fælicitate suis communicanda, vel inter ipsa pericula, gravissimasque nostræ mortalitatis ærumnas.

Utinam incensi tanti Amoris exemplo, nullis malis, sive corporis, sive animi ità perturbemur, ut quid nobis agendum sit obliviscamur. Nulla Spes commodi, nulla instantis mali formido ità nos occupet, ut non tota contentione Animi cogitemus de

quo,

quolibet Divinæ Gloriæ incremento, & de obſequio quolibet Amantiſſimo Reparatori impendendo.

5 Quomodo antequam patiatur deſiderat Dominus Paſcha mrnducare cum Diſcipulis ſuis?

Modus hujus deſiderij eſt ſine modo, ut clarum eſt multipliciter ex premiſſis. Verum adhuc unum addamus. Dicebat D. Aug. tom. 9. in Epiſt. B. Ioannis tract. 4. Tota Vita Chriſtiani Boni Sanctum deſiderium eſt. Si rectè Auguſtinus hoc dixit quid erit dicendum de Vita Chriſti, undè quilibet Chriſtianus bonus, & undè omne deſiderium ſanctum eſt?

Si quæris ergo, quomodo, ſeu quo deſiderio Chriſtus Dominus deſideravit Paſcha manducare cum Diſcipulis ſuis, deſiderio perpetuo deſideraſſe comperies. Tota enim Vita Chriſti, qui ſolus bonus eſt, ſanctum deſiderium fuit. Ne autem perpetuitatem hujus deſiderij metiamur à Vita humana Chriſti. Metiamur à diebus Æternitatis, metiamur à Nativitate Verbi in Forma DEI, dicentis. In Charitate perpetua dilexi Te. Gratijs de more perſolutis:

Confundamur primò quia ſi deſiderium Chriſti deſiderantis manducare Paſcha cum Diſcipulis ſuis perpetuum fuit, & eſt; cur ità rarò menſam iſtam deſideramus, qui Diſcipuli Domini cupimus appellari?

Confundamur ſecundo, quià licet frequentiùs ad menſam Dominicam accedamus, parum abeſt quin dicamus: nauſeat ani-

anima nostra super cibo isto levissimo.

Confundamur tertio, quia si desiderando, capaces efficimur illius quod desideramus, quandò nam efficiemur capaces Boni, quod quià non videmus, non desideramus. Ad hoc penitius,& utilius percipiendũ cõsideremus attentè verba Augustini ex tract. 4. citato, ubi postquam dixisset, totam Vitam Christiani Sanctum desiderium esse subjungit.

Quod autem desideras non dum vides, sed desiderando capax efficeris, ut cum venerit, quod videas, implearis. Sicuti enim si velles implere aliquem sinum, & nosti quam magnum est, quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel utris, vel alicujus rei, & extendendo facis capaciorem: Sic DEUS differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo Fratres, quia implendi sumus. Hæc est Vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantum autem nos excercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputaverimus ab Amore sæculi. Bono implendus es. Ex inani quod implendum est, funde malum: puta, quia melle te vult implere DEUS; si aceto plenus es, ubi mel pones? Fundendum est, quod portat vas. Mundandum est ipsum vas. Mundandum est etiam cum labore, cum tritura, ut fiat aptum cuidam rei. Mel dicamus, aurum dicamus, vinum dicamus: quicquid dicamus, quod dici non potest, quicquid volumus dicere Deus

vocatur. Et quid diximus DEUS, quid diximus? duæ istæ syllabę sunt totum quod expectamus. Quicquid ergo dicere valuimus infrà est. Extendamus nos in eum, ut cum venerit, impleat. Hæc August. de Deo clarè videndo.

Sed facilè transferri possunt ad Deum, quem sub Eucharisticis Speciebus latentem accipimus.

6 Consideretur ultimo, quo tempore desideraverit Dominus Pascha manducare cum discipulis suis.

Dominus IESUS, inquit Apostolus primò ad Chor. 11. 23. in qua nocte tradebatur, accepit Panem, & gratias agens fregit, ac dixit: Accipite, & Manducate, Hoc est Corpus Meum, Similiter & Calicem postquam cœnavit dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine.

Eadem igitur nocte parantur insidiæ, & paratur mensa. Parantur insidiæ adversus Regem. Paratur mensa prò subditis adversus Regem tumultuantibus: quo tempore Dominus accipiens panem, & frangens distribuit dicens: Hoc est Corpus meum: Homines dicunt: Mittamus Lignum in panem eius (hoc est mittamus Lignum Crucis in Corpus ejus) & eradamus eum de terra viventium, & Nomen ejus non memoretur amplius. Ille dicit: Calix hic novum Testamentum est in sanguine meo. Illi dicunt, Morte turpissima condemnemus eum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & pro-

be-

bemus patientiam illius. Ille propinat nobis sanguinem, quo Testamentum prò nobis conditum confirmauit: Illi Hæreditatis testamento neglecto, fędus percutiunt cum Inferno, & Morte; quæruntque il lum Sanguinem fundere, quo peccata omnia expiantur, quo tellus irrigata omnem exuit sterilitatem; quo Decretum antiqui Chirographi, quod erat adversus nos deletur; quo in Libro Vitæ omnium Electorum Nomina describuntur; quo denique magnæ Cęnæ implentur pocula ad Convivas omnes felici ebrietate à se ipsis alienandos.

Hic est Amor Filij Dei ęrga nos. Hæc est Humana perversitas adversus Filium Dei. Desiderat manducare Pascha usque ad consumationem Sæculi duraturum, cnm Discipulis suis, in qua nocte tradebatur.

Quid retribuemus Domiuo prò omnibus quæ retribuit nobis? Diligamus Fratres nostros, etiam Inimicos; etiam quandò nos occultis consilijs, obtrectationibus, machinationibus oppugnant: etiam quãdo apertas injurias irrogant verbis, & factis

Si tales essemus, quam dignè, quam frequenter, quam ardenter illum desideraremus, qui accipiens Panem fregit, & dixit, & Apostolis, & omnibus, qui erant per Apostolos crediturí: Accipite, hoc est Corpus meum: Et hoc dixit, & fecit in qua nocte tradebatur.

Ergò diligamus Hõmines etiam nos odio habentes propter illum, qui, cum adhuc

huc

hue inimici essemus, dilexit nos. Diligamus Homines propter illum, qui propter Homines factus est Homo; ut ei similes secundum viscera Charitatis erga Homines, simus etiam similes secundum desideria erga illud Pascha, quod tantopere desideravit manducare nobiscum.

MEDITATIO V.

De Christo Domino in Horto Gethsemani Orante.

✠ ET egressus ibat secundum consuetudinem in Montem olivarum. Lucæ 23. 39.

Habens Dominus consuetudinem orandi in Monte olivarum, à consuetudine laudabili non avocatur, aut illa tristitiâ de qua dixit: Tristis est Anima mea usque ad mortem, aut metu periculi, quod imminebat à dolo, & vi inimicorum suorum. Nam ubi oraturus erat, amicitiæ simulatione prodendus erat, & armatorum furore in vincula coniiciendus.

Disce, quid agendum tibi sit, qui consideras euntem secundum consuetudinem in Montem olivarum. Nullum tædium, nulla tristitia, nullum periculum ab oratione te avocet. Si cogitationes tuæ conturbant te, si mœrore conficeris, levamen-

tum

tum tristitiæ non ab Hominibus quære; sed à Patre Misericordiarum, & DEO totius consolationis. Si consistant adversum te castra Hostium invisibilium, si exurgat adversum te prælium, ad illum te recipe, qui est Protector vitæ tuæ, Illuminatio tua, & salus tua, & non timebit cor tuum. Una spes tua ille sit, qui non solum in die malorum proteget te, neque solum abscondet in tabernaculo suo, de quo Psal. 26. 9. Sed abscondet te in abscondito tabernaculi sui, hoc est in intima, abditissima, & à malis omnibus securissima parte Protectionis suæ.

Illud ulterius attende, quod habens consuetudinem orandi in Monte olivarum, ibidem orat etiam moriturus. Ne in Morte quidem bona consuetudo intermittitur. Ergò si Præceptoris optimi vestigia premes, si assueveris semper orare, & in illo præcipuè Monte, undè fluit oleũ Misericordiæ Divinæ, & ubi abundat oleum Devotionis, orabis etiam moriturus. Non mortis pavor, non dolores corporis, non fatiscentis animi tædium, atque tristitia orationem tuam impedient. Psalles spiritu, psalles, & mente, & juxtà exhortationem Vatis Regii. Psalm. 32. 2. Confiteberis Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psalles illi: orans videlicet voce, & opere: orans voce, & manu pulsante Cytharam, atque Psalterium, quibus divinorum mandatorum impletio significatur. Quam gratum erit

Sa-

Sacrificium labiorum tuorum, cui Sacrificium justitiæ, perfectumque, & corporis, & animi holocaustum in odorem suavitatis accedet.

Altè igitur illa Verba cordi tuo insideant, & jucundè retracta. Et egressus ibat secundum consuetudinem in Montem olivarum.

2 Antequam Hortum ingrederetur, cępit pavere, & tædere. Matth. 14. 33.

Sed numquid fuit illud tædii, & pavoris initium? Fuit sanè secundum externam speciem. Cęterum secundum internam animi commotionem, tædium, pavor, & omnis doloris acerbitas sumpserunt initium ab Utero Matris tuæ, Bone JESU, ex quo dixisti: In capite Libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & Legem tuam in medio cordis mei. Et quoniam summè diligebas Patrem, & propter Patrem ardentissimè diligebas Mundum peccatorem, ideò Paternę Voluntatis Amator, desiderantis omnes homines salvos fieri, & Paternæ Legis in medio cordis sui descriptor ab ipso Conceptionis exordio dolore acerbissimo torquebaris, ob innumerabiles injurias, quas Homines irrogabant Patri. & innumerabiles clades, quas peccata inferrebant hominibus. Si tantum quis dolet, quantum amat, quis fuit modus doloris tui? Quantum dilexeris Patrem, tu solus nosti. Quantum dilexeris Homines, facta loquuntur. Ille propter scelus Populi

sui

sui percussit Te. Tu eadem amoris vehementia percuti voluisti.

Ideò. Psalm. 87. 16. per os Prophetæ dicebas: Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. Ne putarent homines, inquit Bellarminus in Psalm. cit. Christi Passionem trium horarum aut unius tantum diei fuisse, revelat hic nobis Spiritus Sanctus Christum in diebus Carnis suæ, nunquam sine Passione fuisse. Sicut igitur fuit in laboribus a Juventute sua, imò ab Infantia, imò ab Utero Matris, ità fuit in tędio, atque męrore de peccatis, hominumque excidio perire volentium.

Ergo Peccator ingrate, Vide primò quanti causa doloris fueris Domino omnia, & singula tua peccata clarissimè intuenti, & ad omnia, & singula contabescenti omnibus diebus Vitæ suæ. Quid si peccata tua fuerint ex illis, quæ Joannes Apostolus epist. 1. cap. 5. 15. vocat peccata ad mortem: peccata videlicet nulla pęnitentia expianda, suamque secum involutura perniciem? Sic enim duplici de causa dolorem illius auxisses. Auxisses, quià graviora essent. Auxisses quià post Passionem, & Mortem Peccatorum omnium expiatricem, & Mundi totius Reparatricem, expiationis, & Reparationis esse particeps noluisses. Avertat omne peccatum divina Clementia: at præcipuè peccatum ad mortem avertat.

Vide secundò quò dolore ipse confici debeas de peccatis tuis; quæ tanto dolore

Fon-

Fontem omnis Gaudii confecerunt, ac dicere compulerunt; Tristis est Anima mea usque ad Mortem.

Vide tertiò quam iniquũ sit magno toties in mœrore te fuisse pro Te, dolentem videlicet de malis, quæ mala non sunt, sed malorum, quæ verè mala sunt, pœnæ: nunquam verò prò illo, & propter illum doluisse, qui prò te tantùm doluit de veris malis tuis, tantæquæ tristitiæ succubuit.

3 Argumentum Orationis in Horto Gethsemani iis verbis compræhenditur: Pater mi si possibile est, transeat à me Calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut Tu Matt. 26. 39.

Petiturus liberationem à morte, Liberatorem suum nominat Patrem, non ut nominis Paterni usurpatione paternum pectus emolliat, & ad commiserationem inflectat; Sed ut ostendat reverentiam Filii, erga Patris Imperium, quamtumuis inusitatum, ac durum. Et quià sciebat se non exaudiendum à Patre, nihilominus Patrem vocat, & Patrem suum, non adscititium, sed verum, sed coæternum, & consubstantialem, ut sui doloris augeat acerbitatem. Quid enim acerbius, quàm in mortis articulo non audiri Filium à Patre, & illo Patre, qui dicitur Pater Misericordiarum, & totius Consolationis? Ità pati gaudebat, quandò liberari postulabat à Morte, ut omnem rationem quæreret, undè animi sui cruciatus esset atrocior.

Quid ad hæc dicis Anima mea, ità Inimica

mica omnis incommodi, & mœroris? Noverat Dominus immutabile Consilium Patris, Cur ergò dicit, si possibile est, transeat à me Calix iste? Hoc dicit repræsentans affectum appetitus sensitivi mortem ex Natura sua fugientis. Idem etiam dicit repræsentans motum voluntatis inferioris, non re, sed virtute solùm, a superiori distinctæ. Voluntas inferior regitur ratione proponente motiva Naturæ simplici consentanea. Superior verò Voluntas regitur ratione proponente motiva Naturam omnem creatam excedentia. Secundum voluntatem superiorem difficillima quæque, & mortem ipsam vehementer optabat, juxtà illud: Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor usque dum perficiatur. Secundum voluntatem inferiorem malum omne horrebat. Sicut autem secundum appetitum sensitiuum, ità secundum voluntatem inferiorem horrebat horrore, non coacto, sed voluntario, seù voluntariè assumpto. Sicut enim oblatus est, quià voluit, ità ærumnas omnes, & corporis, & animi expertus est, quià voluit experiri, ad nostram, totiusq; Ecclesiæ eruditionem.

Disce Anima Imitatrix Christi. Subtε sit appetitus tuus. Et voluntas superior omne dominium exerceat in inferiorem. Exercebit autem si tu spectaveris, non quæ proponit humana ratio, sed Divina.

Orationem semper concludit: Verumtamen non quod ego volo, sed quod Tu.

Et

Et hoc dicit, non ore tenus; sed ex totō corde; Non lingua inania verba sonante, sed opere, & veritate. Ego verò Domine Deus meus quoties dico: Pater Sancte non mea, sed tua Voluntas fiat, dum desidero, non Tuam, sed meam fieri voluntatem? Da mihi Spiritum veritatis, qui à Te procedit, ut me doceat omnem veritatem, & sermo meus mendax non sit coram eo, cujus sermo veritas est. Io: 17. 17.

4 Et factus in Agonia prolixius orabat: Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Lucæ 22.44.

Deliquium patitur, sed ab Oratione non cessat. In sudorem sanguineum resolvitur, indigetque Angelo confortante; sed quod dixit ratum habet, & quod promisit uult constanter impleri.

Tu verò delicate Miles quid agis? Non dum ad sanguinem restitisti: & officio tuo egregiè te functum arbitraris. Ad prima pericula de fuga cogitas. Ad primum pugnæ sonitum terga vertis. Vide quid agat Imperator tuus. Cum omnibus Principatibus, & Potestatibus tenebrarum præliaturus, cum Orbe toto, omnibusque peccatis congressurus, & prò peccatoribus omnibus mortem acerbissimam oppetiturus, non detrectat certamen, non mutat consilium. Sed propinquante periculo, magis accenditur, & antequam cruorem fundat in Atrio Præsidis, vel Ara Crucis, fundere incipit in Horto Gethsemani, uulnera inferente, non crudelitate

Tortorum, sed magnitudine Amoris sui.

Ergò si tu quoque orans ad illa Te offers, ad quæ vocat Deus., constantiæ memineris. Si morbi, si calumniæ, si tristis facies cujuslibet calamitatis nondum oculos feriat, multi multa promittunt. Specie verò mali propiùs ingruente deficiunt, & quæ promiserant oblivioni tradunt. Noli tante mobilitatis nota inuri. Si difficultatibus uno agmine incurrentibus, & animum vehementer quatien tibus trepidaveris, oculos in Ducem tuum converte. Unus intuitus Virorum omnium fortissimi te præstabit invictum.

Si ab Orationis Studio non recedes exemplo Domini, si à Patre Amantissimo auxilium unicè præstolaberis, si una Dominici Sanguinis gutta decurrentis in terram, in Animam tuam defluxerit, Victor eris omnium difficultatum, & quantò gravius certamen instabit, tantò alacriori fortitudine pugnabis, & vinces.

5 Apparuit illi Angelus de Cęlo confortans eum. Lucæ 22. 43.

Quod obsequium Angeli multis Martyribus persolverunt, solatium doloris, & laboris in duro discrimine positis adhibentes, præsentia sua, alloquio, officiis, abstersione Frontium sudore manantium, persoluunt etiam Regi Martyrum, Regique suo. Adest unus è Principibus primis deliquium patienti, totoq; e corpore sudorem sanguineũ emittenti. Qua specie spectandum se præbuerit, qua reverentia, qui-

quibus verbis usus fuerit, quid egerit, nos latet. Legationis tamen causa non latet. Summa enim tristitia, volentis confici dolore sine ullo temperamento solaminis, compulit Cœlestes Spiritus ad aliquid levamenti afferrendum Domino suo: immò compulit Patrem ad mittendum Nunciũ, qui Consolatoris munere fungeretur, erga miserorum omnium Consolatorem omnis consolationis expertem, ut summa desolatio Capitis nostri, summa tristitia, in illud Gaudium verteretur, quod à nobis, tamquam membris Corporis sui non posset auferri.

Quoties ergo desolationibus exercebimur, non deficiamus, sed ut monet Apostolus ad hæb. 12. 1. Per patientiam curramus, ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem Fidei, & Consummatorem JESUM. Ideò enim Author Fidei, omnisq; per Fidem Consummator virtutis voluit affici desolatione, cui nihil inesset consolationis, ut nos ad similem tolerantiam erudiret.

Ad ejusmodi tolerantiam in praxim redigendam clamemus ad Dominũ de profundo malorum nostrorum, & quantò magis adversa nos obsident, dicamus cum Thoma à Kempis lib. 3. cap. 50. 5. Gratias tibi ago, quià non pepercisti malis meis, sed attrivisti me verberibus amaris, infligens dolores, & immittens angustias, foris, & intus. Non est, qui me consoletur, ex omnibus, quæ sub Cœlo sunt,

 nisi

nisi Tu Domine DEUS meus, Cęlestis Medicus Animarum, qui percutis, & sanas, deducis ad Inferos, & reducis. Disciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit.

Ad hæc meminerimus id, quod scribit Apostolus 1. ad Corinth. 10. 13. dicens; Fidelis DEUS est, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

Quid igitur spē abiiciamus? quando venerimus in altitudinem Maris, & videbitur jam jam nos demersura tempestas, mittet invisibiliter Angelum suum, qui fluctuantibus dexteram porriget, & nos appellet ad littus, & suo complexu, & verbis, & omni fovebit officio. Modicæ Fidei, dicet nobis Dominus per Angelum suum, quare dubitasti?

Qui denique cursu vitæ finito, abstergет omnem lacrymam ab oculis nostris manibus suis, ut habetur Apoc. 21.4. quoties per manus illorum Spirituum, qui faciunt voluntatem ejus ad audiendam vocem sermonum ejus, abstergit fletum quem ab oculis, & sudorem, quem à frontibus expressit sæpenumero desolationum acerbitas?

6 Clausulam huic Meditationi imponamus, quærendo undenam potissimùm oriatur sudor ille sanguineus, quo tota Facies, & singula Domini Membra perfunduntur, & qui ad terram usque irrigan-

dam decurrit. Oritur nimirum ab illo onere, de quo quæritur Psalm. 37. 4. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Oritur à Labore, de quo Isaiæ 43. 24. Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

Quantum est N. Peccator pessime illud onus, sub quo curvatur, qui portat Orbem? Non de suis iniquitatibus loquitur, sed de tuis, quas expiandas suscepit, & quæ velut aquæ inundantes præ multitudine supergressæ sunt caput ejus; & præ gravitate, veluti plumbum subsidentibus humeris incubuerunt.

Quantus est Labor ille, quo lassatur Gygas Omnipotens, cogiturque sanguineo sudore diffluere? Tu verò ingratissime, Hominum siccis oculis intueris toto corpore tua peccata lugentem. Fieri nè potest, ut non possis paucas rependere lacrymas illi, qui prò te Corpus totum dissolvit in fletum?

Quod si adhuc cor tuum, si oculi tui ad lacrymas omnes arescunt, vide quid gemens, & sudore manans citatis verbis subiiciat. Postquam enim dixit: Servire me fecisti in peccatis tuis; præbuisti mihi Laborem in iniquitatibus tuis, illicò subjungit: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & judicemur simul.

Narra si quid habes, ut justificeris. Isaiæ 43. 25.

Qui ad ista non gemit inhumanior est Feris, durior scilicibus. Delet peccata sub quorum onere gemit, & sudat: & illo sudore delet, quem tu peccando venis omnibus extrahis, & adhuc peccare non cessas. Ille, ut Liberatorem tuum in memoriam reducas, peccatorum tuorum non recordabitur: Tu verò oblitus Domini Dei tui, omnibus diebus Vitæ tuæ, adhuc oblivisceris.

Si tam ingrati animi vitium delere desideras desine primò peccando seruus esse peccati, ne Dominum Cœli, ac terræ servire facias in peccatis tuis.

Nullũ secundò laborem fugias prò illo suscipiendum, cui tantum hactenùs laborem præbuisti in iniquitatibus tuis.

Recordare tertiò recordatione perpetua Beneficiorum illius, qui tot, ac tanta egit, ac pertulit, ut peccatorum tuorum non recordaretur.



ME-

MEDITATIO VI.

De Capite Domini in Sepulchro jacentis.

1 CAput Auguſtum, quod gementes vidimus inclinatum è Cruce, nunc reclinatum in tumulo intuemur. Quid iſta inclinatio, Bone IESV, quid ſibi vult iſta reclinatio?

Numquid Caput expiraturus inclinas, ut Peccatores, vel dubitantes, vel non valentes aſſurgere ad oſculum Pacis admittas? An expiraturus inclinas, ut non ſolum Adamo, ſed omnibus ejus filijs de limo terræ formatis inſpirares in faciem eorum Spiraculum vitæ; & fieret omnis Homo in Animam viventem; neque ſolum corpora, ſed Animæ ipſæ vita carentes, vitam beatiſſimam ſortirentur, de ſpiraculo vitæ morientis?

Iam vero, cur idem Caput vita, ſpirituque caſſum reclinas in tumulo? An ut Peccatores præter omnem ſpem, & ſuper omne votum ad oſculum Pacis admiſſi, poſſint per otium, quod ſibi inclinatum, reclinatumque eſt, attentè intueri, & manibus contrectare, & ſanctiſſimæ Pęnitentis Magdalenæ Unguento perfundere? Ne pedum quidem unctio peccatores decet. At

si boni Pęnitentes sumus, etiam, quis credat? ad unctionem Capitis evocamur: ut nobis gratias agentibus, & Benignitatem ineffabilem prædicantibus, ex odore unguenti domus impleatur, totusque Christianus Conuentus lætificetur, ut ait Rupertus in Matth. 26.

Quis dignas rependat gratias inclinanti caput, & reclinanti? Quis dignè perpendat Beneficij magnitudinem? Quis intelligat, quid sit mori, immò quid sit vivere in osculo Domini? Quis perspiciat, quid sit non solum Corpora, sed Animas mortuas vivificari Spiritu expirantis? Quid sit post inclinationem Capitis ad osculandum, reclinatio Capitis, ad illud nostris obsequijs exhibendum, ad contemplandum, ad lacrymis perfundendum, ad balsamo Devotionis illinendum?

O' Beneficium! O' Charitatem! Ecce Caput exanime, frigidumque, quod ut nos vivificaret, vitam amisit: ut erigeret, se demisit; ut nobis placidissimam quietem pareret, præbuit oculos durissimo somno claudendos.

Moriamur ergo nobis, & omnibus, ut uni soli vivamus, de illo Vitæ spiraculo, quod expirans in facies nostras inspiravit. Deposito fastu superbię capita demittamus, ut erigamus ad illum, qui caput suum, ut nos erigeret, ità profunda inclinatione demisit.

2 Genes. 28. 10. Egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran, cumque venisset ad quem-

quemdam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubituu, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco.

Verus Iacob egressus non de finibus Bersabee, sed mœnibus Hierosolymæ, pergebat Haran, hoc est, si nominis interpretationem attendas, destructum. Et sanè quid magis destructum, quam Genus humanum, ad quod pergebat Dominus, ut destructum repararet, & in pristinum revocaret?

Cum autem venisset ad quemdã locum, hoc est in Montem Oliveti, & vellet in eo requiescere, post Solis occubitum, qui ab hora sexta, vsque ad horam nonam factis tenebris super universam terram, occiderat; tulit de lapidibus, qui hinc indè jacebant; de lapidibus videlicet, quos erat in Filios Abrahæ suscitaturus, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco.

Supposuit quidem Capiti suo lapidem illius sepulchri, in quo nondum quisquam fuerat positus. Sed quantò libentius, supposuit Capiti suo, Lapides durissimos peccatorum, de quibus Filios Abrahæ suscitare decreverat?

Hi Lapides fuerunt Sepulchri lapidibus longè duriores, & ideò molliores, Amori Amoris Crucifixi, mortui, & sepulti. Ideò his incumbens lapidibus, si Amoris magnitudinem spectes, tam dulci somno quievit; licet ità duro, ferreoque, si mortis immanitatem consideres.

Quis dignè amet hunc Amorem? Si

quantò major est duritia lapidum, tantò major est Amor utentis lapidibus, prò cervicali: qualis quantusque fuit Amor dormientis erga me, qui lapidum omnium duritiam excedo?

Utinam ex omnibus lapidibus Capiti Divino suppositis ad quiescendum, ut in Filios Abrahæ suscitarentur, ego quoque durissimus omnium, in Filium Abrahæ suscitet, mutatusque in virum alterum, in pace in idipsum dormiam, & requiescam.

3 Si mors amarissima, visa est Domino præ Amoris magnitudine suavissima, & quies super durissimis Lapidibus placidissima: Cur & nobis mortuo commortuis, & sepulto consepultis placidissimè quiescere non contingat, reclinatis capitibus, non super duris Peccatorum lapidibus, sed super angulari Lapide Christo, ab Homnibus quidem reprobato, sed à Deo ad fœlicitatem Electorum electo? Si nostri lapides ità molle pulvinar Domini Capiti præbuerunt: cur nobis durus videatur Lapidum omnium, & pretiosissimus, & molliissimus?

Caput Animæ tuæ, quicumque ad hunc tumulum gemis, Intellectus est. Iacta super Dominum cogitatum tuum, Iacta curam tuam, ut inquit Prophæta psalm. 54. 21. & ipse te non solnm enutriet, sed nutritum Doctrina Veritatis, placidissimè dormire faciet. Omnem sollicitudinem tuam, ut hortatur Petrus Apostolus ep. prima. cap. 5. 6. proijce in eum, quoniam ipsi cura est de te, Somnum securus cape, quià no-

nobis dormientibus, & ipsi indormientibus, ipse vigilat.

Neque terreat duritia Lapidis. Petra Christus est, & Lapis angularis. Superadde Lapidi Crucem, Spinas, Clavos, Lanceam, Flagella: quid tum? Si amaveris, unus IESVS, & quidem Crucifixus, mortuus, & sepultus, faciet omnia mollissima, & jucundissima. Suppone Capiti pulvinar amabile, & suavissimè dormies.

4 Sicut Jacob vidit scalam in somnis stantem super terram, & Angelos ascendentes, ac descendentes, ità vidit Dominus, dum quiesceret in sepulchro, fructum somni sui, seu mortis suæ. Vidit nimirum virtute mortis suæ, jam præstitum, quod ante præviderat exciturum. Vidit inquam Homines in Angelos commutatos, ascendentes per Scalæ gradus, per diversas videlicet perfectiones gradusque virtutum, Humanitatis assumptæ, secundùm quam Via nostra est. Est enim Via, per quam itur ad Veritatem, & Vitam, quæ Divinitas est. Et ideò dicitur cacumen illius tangens Cœlum, quià nostra Mortalitas eò evecta est, ut non solum Cœlum, sed Verbum ipsum quodamodò admirabili nexu contingat. Diciturque Dominus innixus scalæ: An potius dicenda est Scala innixa Domino, adse omnes per scalæ gradus, invitanti, exhortanti, volentes ducenti, Trahenti nolentes,

Exultemus Domino ferali quidem somno quiescenti, sed lætissima intuenti. Lau-

de-

de nus cum Sanctis omnibus sapientiam attingentem à fine vsque ad finem fortiter, & suaviter omnia disponentem ; & cum sit una, potentem omnia ; permanentem in se, & omnia inovantem, ut habetur Sap. 7.27. & per nationes in Animas sanctas se transferentem, & Amicos Dei, & Prophætas constituentem, & Homines in Angelos transformantem.

Ut verò ex his Angelis ascendentibus, ac descendentibus (si tanta mutatio potest etiam cadere in Peccatores non absimiles nobis) esse possimus:

Petamus primò illam integritatem morum, illam vitæ Innocentiam, ut de nobis, tamquam vitæ suæ Consortibus Angeli non erubescant. Rem difficilem postulamus. Sed longè majora potest Sapientia, quæ non solum Sole speciosior est, & super omnem dispositionē Stellarum, & luci comparata invenitur prior, & cujus Spiritus dicitur incoinquinatus, mundus, & attingens ubique propter munditiam suam. sed præterea Omnipotens est, & infinitè amans est.

Petamus secundò ut de virtute in virtutem semper proficientes ascendamus ad illum, cui Scalæ stantis super terram cacumen innititur. In hac lacrymarum Valle cum Regio Vate ascensiones in corde nostro disponamus. Psalm. 84. 6.

Petamus tertiò, cum Angelis descendentibus descensum, non à perfectione ad imperfectionem, sed à contemplatione Dei

ad

ad actionem Proximorum saluti perspicientem. Sic ascensus ad Deum, & descensus à Deo erit Deo gratissimus: & sic ascensus ad Deum efficiet, ut majori cum fructu descendamus ad Proximum: & descensus ad Proximum præstabit, ut faciliùs, celerius, & sublimius ascendamus ad Deum.

5 Præter illa, quæ diximus, quæramus ulterius, quid à nobis exigat Caput Domini reclinatum in tumulo.

Exigit primò, ut cum Ieremia cap. 9. 1. Vnusquisque dicat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte, non interfectos Filiæ Populi mei, ut dicebat Propheta: sed interfectum à Filia Populi crudelis. Quem autem interfectum? Illum nimirum, qui non recusavit interfici, ut interfecti Filiæ miserabilis revocarentur ad vitam. Quanta diversitas inter interfectos, & interfectum suos interfectores vivificantem!

Exigit secundò, Ut meminerimus nostra quoque capita ad summam Gloriæ celsitudinem exaltanda, si consortia fuerint Dominicæ dejectionis. Sicut enim quia Dominus de humanis calamitatibus torrentis in morem, magno cum strepitu defluentibus, secumque omnia rapientibus, in via hujus mortalitatis bibit, & usque ad satietatem bibit, erat caput exaltaturus, juxtà illud: de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput: Psalm. 109. 8. Ità nostra capita ad summam Gloriam evehentur, si prius depressa fuerint in profuudum: & si

nos

nos quoque ærumnis ingruentibus involuti biberimus de torrente, qui nos, & nostra involuerit, secumque devoluerit, atque demerserit.

Exigit tertiò, Ne summa Paupertas dicentis: Matth. 8. 20. Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos: Filius autem Hominis non habet, ubi caput reclinet: nos à benè cæptis deterreat. Licet enim secuti, & sequi velimus ità Pauperem, ut ne in morte quidem habuerit, nisi alienum sepulchrum, ubi caput reclinaret: non ideò tamen animum despondere debemus. Caput enim ità Pauperis, aureum est: immò Aurum optimum est. Deus est. Caput enim Christi Deus. Si omnis copia, quæ Deus non est, egestas est, Augustino teste: quid egestatis sub tali Capite metuere possumus? Metuant egestatem, quorum Thesaurus Ille non est, de quo dicitur. Caput ejus Aurum Optimum: Cantic. 5. 11.

6 Iob e solio Regni sui dejectus, & jacens in sterquilinio, loquensq; de Deo ad Amicos suos dixit cap. 19. 9. Spoliauit me gloria mea, & abstulit Coronam de capite meo. Ità Dominus è Cruce, tamquam è Solio Regni sui depositus, & ornamentis Regis dolorum spoliatus, de Patre suo quodamodò queritur: Spoliavit me gloria mea, & abstulit Coronam de Capite meo.

Quandò è Cruce pendens: dicebat Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me: non tam querebatur de cruciatibus, quibus afficiebatur, quam de cruciatibus, qui sibi de-

denegabantur, & quibus non amplius futurus erat obnoxius. Ideò Diuus Bernardus ajebat: Non queritur propter tormenta quæ patitur, sed queritur propter tormenta quæ non patitur. Iam iam enim morituro eripiebatur omnis patiendi facultas.

Ità ne Domine IESU, antequam morereris, pati cupiebas, & cruciatibus, & opprobrijs saturari, ut doleres doloribus, & malis tuis modum imponi? Nunc verò in Sepulchro jacens, privatusque corona, qua tantoperè gloriabaris, tacita quadam querimonia, quamtumvis loquendi usum mors neget, de Patre loquens dicis. Spoliavit mea gloria mea, & abstulit Coronam de Capite meo?

Vide N. Peccator, quanti faciat Rex dolorum Gloriam Regni sui. Gerit Caput Spinarum vulneribus vbique patens, & cruentum: sed egrè patitur abesse Spinas, quæ vulnera inflixerunt. O'si posses tandem aliquandò fieri de Inimico Amator Spinarum, quas Amor Crucifixus ità dilexit! Dicant alij; coronemus nos rosis antequam marcescant. Tu si sapis, præ omnibus rosis dilige spinas, quæ suas cuspides reliquerunt in Capite Domini. Ferire non possunt, postquam omnes aculeos in tali Capite amiserunt, tamque Pretioso Sanguine rubuerunt, & adhuc amissa cuspide purpurascunt.

Vide secundò, quod si Amor, & secundum Corpus, & secundum Spiritum perfe-

ctè

ctè Crucifixus, & Mortuus, spinas suas desiderare non desinit: quantò magis ille spinas debet optare, qui nondum est perfectè Christo commortuus, & consepultus? Vivit adhuc in te multum de Amore mundi, de amore tui. Quid ergò spinas fugis, quæ maximè necessariæ sunt ad occidendum in te, quicquid vivit de te, impeditque ne unicè vivas de illo, extra quem, & sine quo vivens, mortuus es.

Vide tertiò quinam sit, cui tam cordi sunt Regni sui insignia, spinæque de Capite suo eductæ. Ille nimirum est, de quo dicitur Apoc. 19. 12. Oculi ejus, sicut flamma Ignis, & in Capite ejus diademata multa. Si Nazareni Capitis spinas amaveris, imponetur capiti tuo, non unum diadema, sed multa. Quia enim post laborum tolerantiam, post Crucem, & Spinas, possidebis non unum Regnum, sed multa, immò omnia uno Regno, contenta: ita gestabis in capite non unum diadema, sed multa uno diademate comprehensa. Præmium intuere, & noli spinas metuere. Immò non Præmium, sed Premii Donatorē suspice. Quod si ad frontem Spineo serto cigendam duceris amore mercedis, nullam quære mercedem præter illum, qui Abrahæ, omniq; Iusto dixit. Genes. 15. 1. Noli timere: Ego Protector tuus sum, & Merces tua magna nimis.

MB-

MEDITATIO VII.

De Resurrectione Domini.

1 PSalm. 92. 1. Dominus regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.

Dominus ab initio Mundi regnavit, hoc eſt Regnum quodamodò acquiſivit, quià ſubditos habere cœpit. Decorem indutus eſt, gloriam videlicet, & Majeſtatem Regiam: Indutus eſt Dominus fortitudinem, hoc eſt Potentiam oſtendit, Gloriæ, & Majeſtati adiunctam, & præcinxit ſe, hoc eſt accinxit ſe ad regnandum, & ſubditos in officio continendos.

Longè verò glorioſius Regnavit, ſiue Regnum accepit ab initio Mundi reſtaurati, die videlicet Reſurrectionis, quo indutus eſt decorem glorioſi Corporis, & per decorem Corporis, decorem Animæ, & per decorem utriuſque decorem Divinitatis manifeſtavit.

Tantò verò clarius Filius Dei ſuam Pulchritudinem manifeſtavit in Homine redivivo, quam in Orbe condito, quantò conjunctior eſt Humanitati aſſumptæ, quam univerſitati rerum; & quanto unus Homo ad ineffabilem dignitatem evectus, melior, & major eſt Mundo.

For-

Fortitudinem quoque indutus est, quià data est illi omnis potestas in Cœlo, & in terra, & præcinxit se ad propagandum Regnum suum per Apostolorum prædicationem; usque ad fines terræ, illudque gubernandum Sapientia sua, attingente à fine ad finem, & fortiter, & suaviter omnia disponente.

Domino gratulemur, & nobis. Domino, quià Regnum accepit. Nobis, quià Regnum ipsius sumus. Domino, quià decorem indutus est, ad nostros animos sibi divinciendos. Nobis, quià ad tanti decoris contemplationem accersimur. Domino, quià indutus est fortitudinem, ut ipsum timeamus. Nobis, quià timere volumus, quem diligimus, adeoq; Filiorum more, non timere more servorum.

Illud præcipuè meminerimus, quod scribit Apostolus 2. ad Thimot. cap. 2. 11. Si commortui sumus, & convivemus, si sustinebimus, & conregnabimus.

Respice Anima mea Illustres Animas, quæ Dominum rediuiuum circumstant. Respice, & numera, si potes, quæ post has sequutæ sunt, & sequentur, & quidem tecum, si vis, & in occasu Mundi suis restitutæ corporibus, æternum vivent, æternumque cum Christo regnabunt.

2 Ad Rom. 6. 9. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.

Quià Dominus moriendo perfectè mor-

tem

tem occidit, ideò jam non moritur. Et quoniam duplex mors est, alia visibilis per quam corpus separatur ab Anima: alia invisibilis, per quam Anima separatur à Deo separatione durissima; ideò mortem visibilem perfectè vicit, quià de invisibili, cui non ipse, verum solus Peccator erat obnoxius, perfectissimè triumphavit. Moriens enim fecit, ut Peccatum finem acciperet, terræque iniquitas deleretur. Quoniam ergò peccati mortem perfectè sustulit, ad quam tollendam Crucifixus, & mortuus est: ideo resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.

Glorioso Triumphatori gratulemur, quod Mortem visibilem vicerit. Multò magis gratulemur, quod vicerit invisibilem. Quid enim habet commune mors invisibilis, cum visibili? Maximè verò gratulemur, quod vicerit in perpetuum.

Utrique Morti Immortalis Vita successit, cujus, & nos participes erimus, si per Dominicæ Mortis merita, nobis perfectè moriendo, mortem peccati perfectè vicerimus. Sic enim cum ipso resurgentes ex mortuis, jam non moriemur, mors nobis ultrà non dominabitur.

3 Ad Philipp. 3. 21. Reformabit Corpus humilitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ.

Christus Dominus resurgens ex mortuis, non solum reformavit Corpus suum, sed nostrum etiam configuratum Corpori cla-

claritatis suæ reformabit. Reformavit suum, quià venas florenti sanguine implevit, illo nimirum sanguine, quo rubuit Hortus Gethsemani, quo flagella Carnificum rubuerunt, quo defluente è uulneribus Capitis, Manuum, Pedum, Lateris terra irrigata est. Reformavit Corpus suum, quià sanavit saucium, vivificavit extinctum, obscuratum illuminavit, deformatum decore induit, cęterisq; instruxit dotibus corporis gloriosi.

Victori Mortis Laudis Canticum persolvamus, nostriq; Cantici argumentum sit Reformati Corporis Pulchritudo, Subtilitas, Agilitas, Impassibilitas.

Sed quoniam non sibi soli, sed nobis etiam, & quidem amantissimè resurrexit, suum nobis corpus ostendit Sole formosius, ut sciremus, qualia futura sint corpora Humilitatis nostræ, quandò claritatis suæ Corpori configurabuntur. Ut autem configurentur meminerimus Reformationi Corporis, necessariò præmittendam esse Animæ reformationem. Nos igitur, & nostra omnia Sapientiæ, atque Potentiæ Renovatoris omnium permittamus, ut Anima nostra ad Imaginem, & similitudinem Divini vultus reformata, reformetur similiter Corpus ad Imaginem, & similitudinem Corporis prò nobis deformati, & innumeris modis attriti.

Novas Liberatori nostro gratias agamus, & post oblationem Animarum, offeramus illi nostra corpora ad omnium

la-

laborum tolerantiam, ad omne genus mortificationis, ad omnium, quæ illi placuerint, experimentum parata, ut sicuti socia fuerint passionum, ità sint consortia gaudiorum.

4 Psalm. 138. 17. Exurrexi, & adhuc sum tecum.

Exurrexit Dominus, & quià secundum Humanitatem, non tàm ratione unionis hypostaticæ, quàm ratione Charitatis, fuit semper Divinitati Verbi conjunctus in omnibus pressuris, doloribus, cruciatibus internis, & externis, atque adeò in ipsa Morte; ideò rectè dicit: Exurrexi, & adhuc sum tecum.

Gratulemur Beatissimæ Humanitati, quod semper fuerit cum Deo, & quod resurgens ex mortuis, à morte quidem visibili resurrexerit, à pœnis peccati resurrexerit; ab ipsa verò morte peccati exurgere non potuerit.

Nos à Morte peccati resurgere possumus, & sæpè resurgimus, quià peccatores sumus. Idcircò non possumus dicere: Exurreximus, & adhuc tecum sumus: Sed solum dicere licet; Exurreximus, & esse tecum incępimus. At saltem postquam semel surreximus, postquam ope Gratiæ sanctificantis inhæsimus Tibi, ità firmiter inhæreamus, ut separari nulla ratione possimus.

Tu Domine JESU, qui nunquam sine Deo fuisti, & esse non potuisti, vide felicitatem tuam, vide miseriam nostram.

Per

Per nexum illum indissolubilem, quo tua Hunanitas Divinitati cohæret, ità nos tibi conjunge, ut unusquisque nostrum cum Apostolo affirmare possit: Certus sum, quià neque Mors, neque Vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque Fortitudo, neque Altitudo, neque Profundum poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in CHRISTO JESU Domino nostro. Ad Rom. 8. 38.

Si hoc dederis, & Auspice Te, inhæserimus tibi, inter omnia pericula, & vitæ hujus angustias; Nos quoque exurgemus: Et sicuti inter omnia mala tecum fuerimus, ità inter omnia bona tecum erimus: quamdiù tecum erit Æternitas.

5 Apocalypſ. 5. 5. Ecce vicit Leo de Tribu Juda. Vicit planè malitiam Sapientia, inquit D. Bernard. Serm. 1. de Die sancto Paschæ, attingens à fine usque ad finem fortiter, & suaviter universa disponens: Sed prò me fortiter, suaviter mihi. Vicit Judæorum blasphæmias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, & de ipso mortis imperio triumphavit. Quid sibi volunt verba Doctoris melliflui: Fortiter prò me, suaviter mihi? Numquid alludit ad Fortitudinem, qua pugnavit adversus Hostes, ut nobis benè esset? An alludit etiam ad robur, quo pugnavit adversus se ipsum Crucem prò nobis ascendens, & non audiens dicentes: Descendat, si Rex Israel est, & credimus ei. Ità

planè

planè eſt. Fortiter prò nobis vicit, ſuaviter vicit nobis. Opus demandatum ſibi à Patre fatiter prò nobis: nobis ſuaviter conſummavit. Quod ſi adhuc generatio prava, & adultera ſignum quærit: non ei dabitur, niſi ſignum Jonæ Prophætæ. Non ſignum deſcenſionis, ſed reſurrectionis. Signum Reſurrectionis non quærit Judæus. Quærimus nos, & amplectimur, & gaudemus. Vicit enim Leo de Tribu Juda. Suſcitatus eſt paterna voce, Leonis Catulns; clauſo prodiit tumulo, qui de patibulo non deſcendit.

Si de patibulo non deſcendemus, fortiter prò nobis pugnabimus, & Hoſtiam in odorem ſuavitatis Deo de nobis offeremus, & cum prodeunte de Tumulo prodibimus.

Vicit Leo de Tribu Iuda, nec reſurrectionem diſtulit ultrà tertium diem, ut Prophæta fidelis inveniatur qui dixit. Vivificabit nos poſt tres dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. Oſeæ 6.3. decet nimirum, ut quemadmodum Caput præceſſit, ſequantur membra. In patibulo ſexta feria redemit Hominem, ipſa die, qua fecerat Hominem in initio: Secunda die Sabbatizavit in monumento, conſummato opere, quod ſuſceperat. Tertia verò, quæ prima dierum eſt primitiæ dormientium apparvit Mortis Victor, nouus Homo. Ità & nos quicumq; ſequimur caput noſtrum, tota die hac, qua plaſmati, & redempti ſumus,

non cessemus tollere Crucem nostram perseverantes in ea, sicut ipse perseveravit, donec dicat Spiritus, ut requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus, non carnem, & sanguinem, non Spiritum quemlibet, descensum è Cruce suadentem. Persistamus in Cruce, Moriamur in Cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum deposuerunt Viri Justi: Nos verò dignatione sua Angeli Sancti deponant, ut consumata viriliter die Crucis, secunda quæ post Mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus fęliciter in sepulchris expectantes beatam spem, & adventum Gloriæ magni Dei, qui resuscitabit tertia die corpora nostra configurata Corpori claritatis suæ. Ita ad verbum Sermone citato Diuus Bernardus.

Concludamus hoc punctum sententijs gravissimis, & utilissimis Abbatis Sancti. Fœtent quatriduani, sicut de Lazaro scribitur: Jam fętet Domine; quatriduanus est enim. Adinventio Filiorum Adam quartam formavit diem, quam à Domino non accepit. Propterea corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, tamquam jumenta, quæ in stercore suo putruerunt. Divinæ siquidem ordinationis est Triduum, quod prædiximus: In Labore, in Requie, in Resurrectione. Non placent hæc Filiis Hominum, sed suam volunt proferre diem differentes pœnitentiam, ut indulgeant voluptati. Non est hæc dies, quam fecit

Dominus: quatriduani facti sunt, & jam fętent. Non novit hanc quod de MARIA natum est Sanctum. Tertia resurrexit die, ne videret corruptionem. Vicit itaque Leo de Tribu Juda. Occisus est Agnus, sed Leo vicit. Leo rugiet, quis non pavebit. Sed prò suis Leo rugiet, non in suos. Paveant alieni; Tribus Juda magis exultet. Gaudeant, qui induti sunt Confessione quorum omnia ossa dicunt: Domine quis similis Tibi?

6 Considerationem ultimam conficiamus, partim sententiis, partim verbis, ejusdem sapientissimi Patris. Vidi, inquit Joannes, in dextera sedentis super Thronum Librum signatum sigillis septē, & non erat qui legeret, vel aperiret. Ego, ait, flebam multum, quod nemo aperire librum dignus inveniretur. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris: Ecce vicit Leo de Tribu Juda, radix David. Et vidi, & ecce in medio Throni Agnum stantem, tamquam occisum. Et veniens accepit Librum de dextera sedentis in Throno, & apervit Librum, factaque est lętitia magna, & gratiarum actio. Leonem Joannes audierat. & Agnum vidit. Agnus occisus est; Agnus accepit Librum, Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique dignus est, ajunt seniores, Agnus, qui occisus est, accipere fortitudinem. Non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem, ut & Agnus maneat, & Leo fit. Plus dico, ut mihi videtur. Idem

etiam Liber est, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inveniretur aperire hunc Librum? Indignum se profitetur, & ipse Baptista Ioannes, quo inter natos mulierum, major, nemo surrexit. Non sum inquit dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. Venerat enim ad nos calceata Majestas, Divinitas Incarnata; Venerat Dei Sapientia, sed in Libro clauso utique, & signato.

Sapientiam Libri, fortitudinem Leonis, mansuetudinem, & innocentiam Agni, tota cum cœlesti Curia summis laudibus efferamus. Sed quænam sunt Libri Signacula, quæ resignanda mansuetudini Agni, Leonisque fortitudini reservantur?

Signaculum primum juxtà Diuum Bernardum: Matris desponsatio est, qua Partus Virginis, & conceptionis puritas velabatur; ità ut Hominis Fabri Filius Fabricator Hominis putaretur.

Signaculum secundum Infirmitas corporis, in qua latebat virtus Divinitatis.

Signaculum tertium Circumcisio. Qui enim ad peccatum omne tollendum venerat, Circumcisus Peccatoris speciem præferebat.

Signaculum quartum. Fuga in Ægiptũ: Fugiens enim à facie Herodis Reguli, nec Dei Filius agnosci poterat, nec Rex Cęli.

Signaculum quintum trina tentatio in deserto. Prima fuit: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Secunda in-

pin-

pinnaculo Templi: Mitte te deorsum. Neutrum fecit Christus, ut signaretur Liber, ut falleretur astutus. Denique eò usque seductus est, ut haberet prò constanti, Hominem esse purum, & in tantam vesaniam superbia cæca proruperat, ut non diceret ultrà, si Filius Dei es: Sed hęc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.

Signaculum sextum. Signum Crucis, ubi pependit inter Latrones, & cum iniquis deputatus est Dominus Majestatis.

Signaculum septimum sepultura. Clausit enim sepultura Librum hunc; nec ullum signaculum omninò sic obstruxit, sic occultavit magnum Pietatis Sacramentū.

Sepulto nimirum Domino, sola restare desperatio videbatur; adeò ut Discipuli dicerent: quià nos sperabamus. Quis non illo fleret in tempore clausum arctiùs Librum, & non esse qui aperiret? Sed nè fleveris ultrà Joannes Sancte: etiam tu noli flere Maria. Procul sit luctus. Tristitiæ nebula dissipetur. Lætamini in Domino, & exultate Justi, & gloriamini omnes recti corde. Dignus est Agnus, qui occisus est. Dignus est Leo, qui resurrexit. Postremò Liber ipse dignus est aperire se ipsum.

Utinam Librum ità fęliciter demptis signaculis reseratum, semper legamus, & intelligamus, & Sacramenta, quæ latebant recolamus, & ope Agni Innocentiam, & Leonis fortitudinem imperti entis, Libri Sapientia impleamur.

HEBDOMADÆ SECUNDÆ,

Meditatio Prima.

De Ratione, qua Sancti omnes, Deo dicenti: Santi estote, quoniam ego Sanctus sum; paruerunt.

1 Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini. Psalm. 118. 1. Si Beati sunt, qui habent quicquid volunt, & nihil mali volunt, omnes Iusti beati sunt, quià nihil mali volunt, & habent quicquid volunt, quià solum Deum volunt & ejus voluntatem implere cupiunt, ut inquit Bellarminus textum explicans. Ideò dicuntur Immaculati in via, hoc est carentes omni peccato lethali in hac vita mortali, quæ appositè dicitur via, cum semper mutetur, & nunquam in eodem statu permaneat. Iusti verò per hanc viam gradientes, & simul in lege Domini ambulantes, dicunrur immaculati; quia Lex Domini immaculata conuertens animas. Psalm. 18. 8. Vitam Iustorum immaculatam facit, Ideò via Iustorum, non est

aut

aut lutosa, aut pulverulenta, aut alio modo sordida, sicuti via impiorum, quæ plena est pulvere superbiæ, cœno luxuriæ, & aqua sordida avaritiæ, vt Bellarminus advertit.

Cum igitur Iniqui multa mala velint, & multa non habeant eorum, quæ vellent; Iusti verò cum aliud nihil velint, quam Deum tamquam ultimum finem, adcòque nihil mali velint: idcircò illi miseri sunt, futuri post vitam præsentem miseriores: hi verò affatim beati sunt, futuri postmodum longè beatiores, ubi plenam felicitatem attigerint. Nè igitur decidant à Bono præsenti, quo fruuntur, & à futuro, quod expectant, aversantur omnia, quæ finis ultimi consecutioni obstare possunt.

Et quoniam Impedimentum unicum est via Impiorum, ideò ab hac longissimè absunt, versantes præ cæteris animo verba Sapientiæ. Prouerb. 4. 14. dicentis: Ne delecteris in semitis impiorum; nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam: declina, & desere eam. Non enim dormiunt, nisi malè fecerint, & rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint. Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.

Qui ergo vult esse Beatus, & Immaculatus, fugiat à semitis Immundorum, & per viam Immaculatorum incedat. Ut autem incedat sæpenumerò secum recolat, quale sit, quantumque discrimen inter Iustorum semitam, & viam Impiorum. Iustorum

semita, inquit Sapientia. Prouerb. 4. 18. quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Via Impiorum tenebrosa. Nesciunt ubi corruant.

Audiat unusquisq; verba gravissima, atque perpendat, & si hactenus magis dilexit tenebras, quam Lucem, pergat, si potest, ire quà cœpit. Salutis monita non despiciat; non despiciat se ipsum. In primis nihil mali velit, & solum Deum velit. Finis enim ultimus unicè volitus, est rei totius Firmamentum, & cardo.

2 Iusti omnes, licet ad summam perfectionem evecti nunquam destiterunt, se more Incipientium in primis vitæ spiritualis rudimentis naviter exercere. Ideò ad peccati malitiam inspiciendam, & odio habendam sępius, de peccati pęnis, de morte videlicet, de Iudicio extremo, de Reproborum cruciatibus cogitabant, iuxtà divini Spiritus documentum Ecclesiastici 7. 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

Diuus Laurentius Iustinianus moriturus: Christus, inquit, prò nobis mortuus est primitiæ dormientium: pudeat nos mortem timere, cum Dominus noster propter nos mori voluerit. Hunc diem semper antè oculos habui.

Diuus Hieromymus in Regul. Monach. cap. 30. Sive comedam, ait, sive bibam, sive aliquid aliud agam, semper insonat in auribus meis vox illa horrifica: Surgite

Mor-

Mortui, & venite ad Iudicium.

Magnus Arſenius de ampliſſimo Senatore Monachus, interrogatus cur non permitteret, ut aqua operi manuum deſtinata mutaretur, reſpondit: Propter thymiamata, quibus in ſæculari converſatione fruebar, oportet me nunc, dum in hoc corpore ſum, ſentire iſtiuſmodi fætorem, ut in die Iudicij, de illo gehenæ intolerabili fætore liberet me Dominus.

Quid ergo nobis agendum, qui tanto à Viris ſanctiſſimis intervallo diſtamus? Non pudeat primò noſtri nos pulveris meminiſſe, & illa recolere, quæ inſipientes Sap. 5, 9. Morte magiſtra diſcunt, & dicunt: quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa, tamquam umbra, & tamquam Nuncius præcurrens, & tamquam Navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus, aut tamquam avis, quæ tranſvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, ſed tantum ſonitus alarum verberans levem ventum, aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum; diviſus aer continuò in ſe recluſus eſt, ut ignoretur tranſitus illius. Sic, & nos nati continuò deſivimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignũ valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.

Non pigeat ſecundò Iudicii; Non pigeat tertio meminiſſe gehennæ, ut ſaltem pęna-

rum timor à peccando coerceat, si fortè nos amoris cepisset obliuio. Sed vtramque considerationem ad uberiorem indè fructum percipiendum in punctum proximè sequens reijciamus.

3 Prò temporis igitur opportunitate unusquisque consideret, quid sibi velint Apostoli Verba: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur 1. Cori. 15. 51. quid sit: Non resurgent impij in Judicio, neque Peccatores in Concilio Iustorum. Psalm 1. 6. quam metuenda sint illa, ad Hæb. 10. 6. Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur prò peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio Iudicii, & 1. Petri 4. 17. Tempus est; ut incipiat judicium à Domo Dei, & Sophoniæ 1. 12.; & erit in tempore illo; scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo Viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet benè Dominus, & non faciet male. Alia ex vtroq; testamento similia sibi quisq; seligat, si præmissa non sufficiunt, quamvis satiùs multùm, quam multa perpendere.

Non recedat secundò à nobis reprobationis Timor, Ignisq; perpetuas poenas ab Hominibus expetituri. Non sit timor, qualem habent, qui spem non habent. De vtroque timore differens D. Bernardus serm. 51. in Cantic. hæc habet, quia per dexteram, & sinistram, aduersa solent, & prospera designari, videtur mihi hoc loco intelligi

gi posse læuam quidem Verbi; comminationem supplicij: Dexteram verò Regni promissionem. Est autem cum mens nostra formidine pœnæ serviliter premitur;& tunc nequaquam sub capite, sed super caput dicenda est, nec potest sic affecta Anima omninò dicere, quia Læua eius sub capite meo. At verò si proficiens ex hoc spiritu servitutis transierit in quemdam spontanei obsequii digniorem affectum, quatenus videlicet præmijs potius provocetur, quam arctetur, supplicijs; magis autem si amore boni ipsius agatur: tunc indubitanter dicere poterit, quià lęva ejus sub capite meo: quippe qui illum servilem metum, qui in sinistra est, meliori, atq; excellentiori habitudine superarit animi, & dignis desiderijs etiam ipsi appropiaverit dexteræ in qua sunt omnes promissiones dicente Prophæta ad Dominum: Delectationes in dextera tua vsque in finem. Undè & certa spe concepta cum fiducia loquitur: Et dextera ejus amplexabitur me.

Igitur more Sanctorum æterna supplicia, & cogitemus, & metuamus, sed Verbi Læva sub capite sit, non suprà caput. Timeamus sperantes, immò, & amantes. Sic enim continget nobis, quod sanctissimo Viro Francisco Borgiæ, qui contemplator ignis æterni valdè frequens, inter illa miserorum incendia diuini Amoris incendio cremabatur. Utinam Ignis divinæ Iustitiæ, victimas inexpiabiles semper incendens, nunquam absumens, alimenta mini-

ſtret Igni, de quo dicitur Exod. 6. 12. per ænigma: Ignis in Altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna mane per ſingulos dies.

4 Prima ad Corinth. 9. 24. Sic currite, ut comprehendatis. Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo Corpus meum, & in ſeruitutem redigo, nè cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar.

Ab omnibus abſtinebat Apoſtolus, ſicut is qui in agone contendit: ità parciori cibo, potuque contentus currebat, & pugnabat, ut pugnans adverſus carnem ſuam, non curreret in incertum, aut aerem verberaret, ſed verbera nefarijs ſpiritibus infligeret, illoſque in fugam ageret: caſtigabat corpus ſuum, & in ſervitutem redigebat, nè cum alijs prædicaret ipſe reprobus efficeretur. Cæteri Sancti ab Inſtituto Apoſtoli, non abhorrebant, nobis videlicet prælucentes exemplo, viamque monſtrantes, qua itur ad ſummum. Summa ſanè perfectio non eſt caſtigatio corporis. Sed ſummum, non ſtat ſine infimo.

Videamus igitur primò, ne amor immodicus corporis ſuis nos fallacijs in errorem inducat. Prudentia, qua nobis parcimus, non ſit prudentia carnis, ſed ſpiritus. Nam prudentia carnis mors eſt. Pruden-

dentia autem ſpiritus vita, & pax, quoniam ſapientia carnis, inimica eſt Deo. Legi enim Dei non eſt ſubiecta. Nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Ad Rom. 8. 6.

Videamus ſecundo utrum ſimus ex ijs, qui omnem duriuſculam corporis tractationem averſantur, dicentes ſummam Virtutis ſitam eſſe in vera ſpiritus mortificatione; & vtriuſque mortificationis expertes, neq; corpora offerunt, neque Animas in Hoſtiam viuentem, Sanctam, Deo placentem. Quid ſummis laudibus ſumma laudantur, & ad ſummum per gradus inferiores via non munitur? Audiant hi quid Sanctus Hieronymus dicat adverſus Iovinianum de delicijs corporis refrænandis. Vexillum Crucis, inquit, & prædicationis auſteritas Idolorum templa deſtruxerat. E'regione luxuria ventris, & gutturis ſubvertere nititur Fortitudinem Crucis. Semper Pſeudoprohætæ dulcia pollicentur, & modicum placent. Amara eſt Veritas, & qui eam prædicant replentur amritudine.

Videamus tertiò, quomodò Sanctorum vitæ noſtra conſentiat, & quid hactenus egerimus, & quid inpoſterum agere velimus, ut corpus perfectè ſpiritui ſubijciamus; memores interim D. Chryſoſtomi advertentis: Apoſtolum dixiſſe: Caſtigo, & in ſervitutem redigo, non verò dixiſſe: Perdo, & punio. Non enim inimica caro eſt. Sed Caſtigo, & in ſervitutem redigo,

go, quod Domini est, non Hostis; Magistri, non Inimici; Exercitatoris, non Adversarij.

5 Genes. 17. primo apparuit Dominus Abrahamo, dixitq; Ambula coram me, & esto perfectus.

Sicut Abrahamus, ità Iusti omnes Divinis consilijs parentes coram Deo ambulaverunt, & luce Solis innocciduі illuminati, per innumeros viarum errores, & cœca præcipitia; pede inoffenso ad majorem semper perfectionem contenderunt. Nunquam intermissa Dei præsentia, magnum viæ compendium est ad Sanctitatem. Ideò Severinus Boetius ajebat, magnam nobis injectam esse necessitatem benè agendi, quod omnia agimus in conspectu Iudicis cuncta cernentis: Et hac de causa tot, tantarumque rerum gestarum gloria excelluerunt Sancti, quià nunquam à Deo cuncta cernente mentis aciem ad inania declinaverunt. Si Filij Sanctorum, & Imitatores esse in votis habemus, coràm Domino ambulemus.

Ambulabimus autem primò, si in omnibus operibus suis Conditorem agnoscere, & contemplari studebimus. Memor fui operum Domini, ajebat Regius Vates psal. 76. 12. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adiuventionibus tuis exercebor.

Ambulabimus secundò, si considerantes, vt habetur Ecclesiaste 1. 8. Quod non saturatur oculus visu, nec auris auditu imple-

pletur, & cuncta, quæ fiunt sub Sole, sunt vanitas, & afflictio spiritus, ad saniora consilia nos convertemus, & de illo solo cogitare deliberabimus, qui solus visum, auditum, omnemque appetitum explere potest.

Ambulabimus tertiò. Si præter summam voluptatem, summam etiam vtilitatem, & honestatem Divinæ Præsentiæ attenderimus. Quid enim utilius nobis, quid honestius, quam Legis totius impletio? Hanc autem Divinę Præsentiæ adscribit Propheta psalm. 118. u. 168. dicens: Servavi mandata tua, & testimonia tua, quià omnes viæ meæ conspectu tuo.

6. Non solum Sancti magna gesserunt; sed magna etiam prò Domino pertulerunt. Et postquam innumera pertulissent, nunquam dicebant: sufficit. Sed longè plura, & acerbiora pati desiderabant, & petebant: neque ore tenus, sed sicut ex toto corde innumera, & durissima toleraverant, ità se pluribus, & intolerabilioribus tolerandis ex toto animo offerebant, memores vbique, & omni tempore Divini Magistri dicentis Lucæ 17. 10. Cum feceritis omnia, quæ prę̨cepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. O' magnitudinem Animi, ò dilectionem numeris omnibus absolutam! O' voluntatem non solum vniformem, sed Deiformem!

Nos verò dicere quidem possumus: Servi inutilles sumus. Sed numquid adiungere

pos-

possumus: Quod debuimus facere, fecimus? Quid enim hactenus fecimus? Quid passi prò Nominis divini gloria sumus? Quid agere, & pati desideravimus? Et si quid agere, aut pati contigit; quomodò, & qua de causa opus executioni mandavimus? aut laborem sustinuimus? Quantum pudoris illa tria offundent: quid, quomodo, cur: Si consideraverimus quid nos, & quid Sancti: quomodò nos, & quomodò Sancti: Cur nos, seu qua rectitudine voluntatis, & Cur Sancti Viri, & qua perfectione egerint: sustinuerint, concupierint, quicquid égerunt, sustinuerunt, in votis habuerunt?

Ergò vitæ præteritæ, præsentisque pertæsi, spectantesque, quanta inter nostram vitamque Sanctorum dissimilitudo intercedat, desidiæ nostræ calcaria subijciámus: nosque pudeat, post exiguos, brevesque labores, sollicitos magis esse de meta, quam stadio, magis de corona, quam cursu. Si comprehendere volumus, ità curramus, ut non cogitemus quantum stadij decurrendi supersit, sed quam benè curramus.



ME-

MEDITATIO II.

De Humilitate, & Obedientia Sanctorum.

1 NOn omnes Sancti fuerunt, sive Apostoli, sive Martyres, sive Doctores, aut Virgines, sed omnes fnerunt Humiles. Janua Regni Cęlestis angustá est, humilis est.. Nisi quis aut sit, aut efficiatur Paruulus, non intrabit. Neque parvitas quæcumque sufficit ingressuro. Alia enim est Humilitas Intellectus, qua quis suam vilitatem agnoscit. Alia est Humilitas Affectus, qua quis cognitam sibi vilitatem ab ali is cupit agnosci, amans nesciri, & prò nihilo reputari.

Ergo qua fronte superbe Peccator suspicis Cęlum? Non illùc patet ingressus erecta cervice gradientibus. Quid facilius, quam ad Lumen Veritatis, vilitatem suam agnoscere? Tu tamen ità miser, & cęcus es, ut nondum nosse te ipsum didiceris, & nondum intelligas, quantum distes non solum à Justis, inter quos versaris, & quibus te præponis: sed à Peccatoribus, & magnis Peccatoribus, quorum peccata vincis, & nescis.

Si de primo gradu Humilitatis, qui facillimus est, nihil habes: quid habebis de se-

fecundo, qui non fine magna fui victoria exercetur? Operiat ergo confufio faciem tuam, daducant oculi tui rivos lacrymarum, divinam opem implora, & esse enitere,quod non fuifti.

2 Ut autem N. Peccator voti particeps fias, & quod leviter indicatum eft, clarius affequaris, perpende verba Divi Bernardi Serm. 40. in Cantica, ità loquentis. Eft Humilitas, quam nobis Veritas parit, & non habet calorem. Et eft Humilitas, quam Charitas format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione confiftit. Etenim Tu fi temetipfum intus ad lumen Veritatis fine diffimulatione infpicias, & fine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamuis nec dum id effe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis. fed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de Amoris infufione. Nam fi veritatis ipfius, quæ fe tibi veraciter, atque falubriter demonftravit, ficut fplendore illuminatus, ità affectus amore fuiffes' voluiffes proculdubio quod in te eft, eamdem de te omnes tenere fententiam, quam ipfa apud te Veritatem habere cognofcis.

Audivi Doctor fanctiffime documenta oris tui lacte, & melle manantis. Utinam intelligerem quæ dixifti, & executioni mandarem. Quoniam verò mandare non poffum, nifi luce Veritatis illuminet, &

nifi

nisi Charitatis Igne succendar, & nisi vilis factus in oculis meis, vilis etiam apparere cupiam in oculis alienis; impetra mihi primò, ut qui positus est à Patre suo in Lucem Gentium, disiiciat tenebras Intellectus mei, ut noverim me. Impetra secundò ut qui venit Ignem in terras mittere, frigidissimi cordis gelu dissolvat, ut amem illum, qui fecit, ut oderim me, alta sapientem, inania cogitantem, & superbia mea ad iram provocantem Altissimum. Impetra tertiò. Ut nihil magis desiderem, quam contemni, omniumque pedibus teri sicut lutum platearum, amore illius, qui cum in forma Dei esset factus est Homo; & de Homine factus est vermis, & opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Si talis esse didicero, non verebor dicere: Amem nesciri. Multi enim amant nesciri affectu Humilitatis propria bona occultantis, & magis obscuritate nominis, quam claritate gaudentis. Multi vero amant nesçiri affectu superbiæ sua mala, sua dedecora tegentis. Vè superbis, væ mihi, si faciem Animarum nostrarum clarè spectandam Veritas exhiberet? Quali pudore suffunderemur, si quæ soli patent Deo, essent omnibus explorata? Ideò qui nondum humilis est, non facilè dicat: Amem nesciri. Illi enim melius est, attenta indole superbiæ nesciri, quam sciri. At si jam seriò diligere ceperit exinanitum in formam Servi, & opprobriis satu-

turatum, dicat fidenter. Amem nesciri. Sicut enim bona sua latere, ita mala sua omnibus manifesta esse desiderat. Et idcircò sicuti sensit Bernardus: Si quis amore afficiatur, sicuti splendore illuminatur, vult eamdem de se omnes tenere sententiam, quam apud se veritatem habere cognoscit.

3 Excelluerunt etiam beatissimi Cives, dum adhuc in hoc exilio versarentur, tribus illis gradibus Humilitatis, quos in ordinem digessit; & in Meditationibus Exercitiorum Spiritualium omnibus Amatoribus Sanctitatis proposuit Sanctus Patriarcha Ignatius.

Fuerunt enim primò divinæ Legi ità subjecti, ut nullius boni spes, nullius mali quamtumuis æterni formido, illos inducere potuisset, ad præceptum aliquod graviter obligans violandum. Ideò tot Anachoretæ, tot Pęnitentes, tam durè secum egerunt; tot Martyres cæsi sunt, Feris obiecti sunt, e rupibus præcipitati, Equis indomitis per saxa, dumosque raptati, flammis absumpti, ne debitam Legislatori subiectionem, & obedientiam denegarent.

Verùm ejusmodi humilitatis gradu nequaquam contenti, ad ulteriorem processerunt, & eodem Animi robore eadem pertulerunt, aut si oblata fuisset occasio, perferre voluissent, ne se ulla in re quamtumuis levissima, divinæ Voluntati subducerent.

Sed

Sed neque hic substiterunt. Ad ultimum enim, atque celsissimum Humilitatis gradum se se agentes, licet nullum sive grave, sive leve Legis implendæ præceptū urgeret; imò licet par gloria Dei fuisset honorari, sive contemni; opibus augeri, sive spoliari; in summa felicitate versari, vel summo luctu, summaque miseria: ad majorem tamen imitationem Christi, elegissent potius cum eo Paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum complecti, quam opes, honores, & sapientiæ æstimationem.

Consideret unusquisque ad quem Humilitatis gradum pervenerit. Primus est omnibus ad salutem necessarius. Secundus ad Innocentiam vitæ. Tertius ad summum apicem perfectionis.

Neminem terreat Verticis celsitudo. Habet enim gradus hic eminentissimus gradus suos. Qui ad summum eniti non potest, ad infimum summi nitatur. De Christo paupere, spreto, illuso vindicet sibi quicquid, & quantum virium infirmitas patitur.

4 Psalm. 17. 48. Populus, quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi, Filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.

Sunt verba Davidis manifestè Christū Dominum referentis, ut Bellarminus advertit. Sicut enim Davidi à suis deserto adhæserunt Gabaonitæ, & Getei, qui

Gen-

Gentiles erant; ita Messiæ, à quo Synagoga defecit, adhęsit Gentium multitudo. Et ideò dicit, Populus quem non cognovi servivit mihi. Præcipuè autem commendat promptam novorum Fidelium Obedientiam, dicens: In auditu auris, hoc est ad primum sonum, ad primum vocis auditum, obedivit mihi Populus, quem non cognovi. Filii autem alieni, Filii degeneres à Patribus suis, Abrahamo videlicet, qui jussus immolare Filium, nulla interposita mora, se dedit itineri ad imperata facienda; & Isaaco, qui sine ulla repugnantia, velato vultu, manibusque vinctis se aræ permisit imponi: & Jacobo, qui jussu Patris, paterna Domo relicta in Mesopotamiam abiit; Filii inquam adulterini, & cęterorum Patriarcharum immemores, mentiti sunt Deo, & ab illo tamquam folia arentia defluxerunt, ut vox Hebrea significat, ubi latina versio habet: inveterati sunt: & claudicaverunt à semitis suis; hoc est non rectè, & fideliter cum Deo incesserunt.

Quam aptè prima verba conveniant veris, & ferventibus Ecclesiæ novæ Fidelibus; postrema verò tepidis, & à primęva Fidei virtute abhorrentibus, satis superque exploratum est.

Veri Fideles ab initio nascentis Ecclesiæ, ubi primum Filium Dei cognoverunt, illicò illius amore flagrarunt, seque, & sua omnia obliti, nihil aliud in votis habuerunt, quam vocibus parere

vo-

vocantis, ficuti Petrus, & Andreas, qui Divinum Magiſtrum audientes dicentem: Venite poſt me, faciam vos fieri Piſcatores Hominum: continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum: & ficuti Iacobus, & Ioannes, qui ſimiliter vocati: ſtatim relictis retibus, & Patre ſecuti ſunt vocantem.

Ego verò quam impigrè Sanctorum preſſi, & premo veſtigia? Et cognovi Dominum, & audivi, & ſæpius vocantem audivi, & adhuc Algeo, & adhuc hæreo deſidia torpens, & illud uſurpans, modò, & modò. Et nullum habet modum hoc inſulſiſſimum modò, & modò.

Quis vincula mea diſrumpet? Quis me liberabit, à mortis hujuſce torpore? Numquid Domine IESU numerabor inter Filios alienos, qui tibi mentiuntur, & ab Arbore vitæ tamquam folia arentia defluunt, & claudicant à ſemitis tuis? Adiuva Domine infirmitatem meam. Fac me velle, quod nolo. Et ità deſidi in parendo, parendi celeritatem impertire.

5 Celeritati Obedientiæ addiderunt Sancti omnes fortitudinem. Non enim ſolum promptiſſimè paruerunt in rebus modicum difficultatis habentibus, ſed in aſperrimis quibuſque, & maximè arduis. Quid enim difficilius, quam abdicatione voluntaria carere bonis omnibus animi, corporis, & fortunæ? Suamque felicitatem ponere in ſumma paupertate, in ſummis cruciatibus corporis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in ſumma ignomi-

minia, ludibriis, oblocutionibus calumniantium, & scelera, & flagitia omnis generis obiicientium, & fidem calumniis apud Homines invenientium?

Nihil horum obedientiæ studio timuerunt Sancti, nihil non vicerunt. Unusquisque percurrat illorum acta, & præcipuè suorum Patronorum, quos peculiari colit obsequio: & cogitanti occurrent innumera, undè in admirationem rapiatur, & undè magno pudore suffundatur.

Erit autem utilis ista confusio, primò ad placandam Iustitiam divinam tot inobedientiis nostris infensam.

Erit utilis secundò ad nostræ soporem socordiæ excutiendum, & excitandum animum ad currendum, exemplo currentium ad bravium æternæ vocationis, nè alii nostram Coronam accipiant.

Erit utilis tertiò ad enixiùs orandum, & obsecrandum donec impetremus illam celeritatem, illam indifferentiam, illam fortitudinem Obedientiæ, qua tantopere indigemus. Quod si non solum conformitatem voluntatis cum voluntate, sed etiam judicii cum judicio Præcipientis impetraverimus, ità ut idem velimus, quod uult Præcipiens, & idem sint sentire nostrum, & sentire mandantis, tunc omni Bono, omniqùe nos cumulatos gaudio sentiemus.

6 Ultima dos Obediētiæ perseverantia est. Ijs omissis, qui gloriosā studio obedientiæ mortē oppetiverunt, nobis aliquos pro-

po-

ponamus, qui vel in morte, vel etiam post mortem imperata fecerunt.

Dositheus jam extremi vim morbi non sustinens, optansque dissolui, & esse cum Christo, Sancto seni Barsanuphio ad se invisendum ingresso dixit: Dimitte me, quoniam jam ulterius nequeo. Respondit Senex: Sustine, & expecta paululum Fili. Rursum post aliquot dies ad se ingresso; Pater, inquit, jam amplius nequeo penitùs. Tùm Senex: Vade in pace Fili, & te Sanctæ Trinitati præsenta, atque precare prò nobis. Quibus dictis, evolavit Vir obediens in Cœlum. Apud Jo: Seucea num. pag. 169.

Friardus reclusus imminente morte accersivit Felicem Episcopum Nanetensem, qui occasione quadam detentus, mandatum remisit dicens: Rogo te, si fieri potest, ut me modicum expectes. His auditis Friardus, surgamus, inquit, & sustineamus Fratrem nostrum. Et sic surrexit incolumis. Post multum temporis febri correptus advenientem Episcopum salutavit dicens: Grandes mihi moras de itinere debito facis, ò Sancte Sacerdos. Cum igitur tota nocte simul vigilassent, & collocuti essent, mane facto Vir Sanctus reddidit Spiritum. Apud Surium Tom. 4.

Audiens Beatum Nilum Juniorē se vocantem nomine suo Stephanus, licet Animam ageret, statim resedit: manibusque levatis mentem adhibebat ad ea, quæ sibi dicerentur. Cum autem dictum esset: Be-

nedic Fratribus tuis, cum jam deficias. Extensis manibus Aeger, & oratione facta illis benedixit. Nunc requiesce, inquit Beatus Nilus, quia non potes amplius. Parvit illicò Moribundus, & peracta obedientia caput reclinans placidè requievit.

Quid plura? Ne post mortem quidem Sancti Virtutem Obedientiæ dedidicerunt. Cum Athanasiam pretiosa morte defunctam vellent pretiosis induere vestibus Moniales, renuit Cadaver manus adhærentes pectori tenens. Rogata, ut quam obedientiam viva servaverat, servaret etiam extincta, manus illicò relaxavit, & vestimenta parantium admisit obsequium.

Ità Sanctissimis Viris, & Fęminis Obedientia cordi fuit. Ità cordi nobis erit, si quorum facta miramur, sequi prò viribus contendemus. Sequemur autem, si quotidiè jussa facere assueverimus in parvis æquè ac magnis: in facilibus, & arduis: tàm in consonis propensioni propriç voluntatis, quàm repugnantibus. Præmium laboris, piæque consuetudinis erit in ipso mortis articulo, & si fas est dicere, etiam post mortem præcipientibus obtemperare, celeriter exequendo quod præcipitur, vehementer amando quod executioni mandatur, & idem quod Præcipiens judicat, judicando.

Audiat Dominus preces nostras, ut ipsum audiamus semper, & Prælatos nostros ipsius personam sustinentes, audiamusq;

dum

dum vivimus, ut vel morientes audire possimus.

MEDITATIO III.

De Charitate Domini Præcursorem Sanctificantis relucente in Charitate Sanctorum.

1 Sanctus Patriarcha Ioseph, ut operam suam impenderet Domino volenti Domum Zachariæ invisere, & Ioannem sanctificare, & Elisabetham Spiritu Sancto replere sternit jumentum ad iter faciendum.

Iumentum, quo Sancti omnes cum Divo Ioseph utuntur ad iter agendum, Dominumque cum Matre sua introducendum in Animas nostras, est corpus. Hoc antè omnia comparatur ad iter. Sternitur ad comodè equitandum. Frænum illi iniicitur, ad regendum. Si vox non sufficit ad socordiam excutiendam, virgæ, verberibusque non parcitur.

Quam rigide Sancti omnes corporum suorum jumenta tractaverint, quam parcè paverint, nè recalcitrarent, quæ fręna illis injecerint, quibus verberibus exercuerint, ut Spiritui parerent, manifestum est singulorum gesta percurrentibus. Aliter utilia esse non possent ista jumenta ad procurandam salutem aut nostram, aut

alienam. Ideò Sancti omnes ità solliciti fuerunt circà regimen, & mortificationem suorum corporum, ut sibi prodesse possent, & aliis, & ut iisdem corporibus uterentur ad portandum Dominum illis quodamodò insidentem, eumdemque in aliorum Animas introducendum.

Si hoc Patriarcha Sanctissimus, si hoc Sancti omnes egerunt, quid Sanctum Sanctorum egisse consebinuis? Psalm. 39. 9. dicitur: Sacrificium, & holocaustum noluisti, aures autem perfecisti mihi. Græca versio habet: Corpus autem perfecisti mihi; hoc est corpus aptissimum ad sentiendum, atquè adeò ad patiendum. Nec ista Lectio repugnat latinæ editioni. Nam latinus interpres posuit partem prò toto, nempe aurem prò toto corpore. Et aptè quidem, ut Bellarminus advertit. Nam auris est Instrumentum Obedientię. Cum autem Corpus Christi esset non solum aptissimum ad patiendum, sed obedientissimum ad pęnas omnes perferendas, adeòque totum esset Auris, idcircò in latina versione, non alia pars corporis ponitur prò toto corpore, quam Auris.

Utinam Domine JESU discam à Sanctis, discam à Te non subesse corpori meo, sed præesse. Utinam discam illud regere, & obediens ad omnia imperata facere, & utile ad cooperandum Gloriæ tuæ in meipso, & in aliis. Dicebat Apostolus prima ad Cor. 6. 20. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Da ut ego, da

ut

ut omnes Glorificemus te, & portemus te, in corpore nostro, & notitiam, & amorem Tui diffundamus à nobis in alios, teq; una cum Matre tua in aliorum Animas introducamus ad illas illuminandas, sanctificandas, & Spiritu Sancto replendas.

2 Sequamur Sanctum Patriarcham iter facientem, & consideremus, quam altum silentium teneat, silensque solo cum DEO loquatur. Silet, ut loquatur cum audiente, & in silentio loquente. Loquitur cum Deo, à quo solum discere potest Sapientiam Sanctorum, & vires obtinere ad hanc Sapientiam aliis communicandam, aperiendumque aditum DEO unà cum Sapientia venienti in Animas Audientium.

Quantò perfectiùs hac arte usus est, qui è Cœlo venit in terras, ut nos visitaret oriens ex alto? Cum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens Sermo tuus Domine de Cœlo à regalibus sedibus venit, & siiens venit, & silvit in Utero Matris mensibus novem, totamque Infantiam traduxit elinguis, more aliorum Puerorum; & cum ab incunabulis omnes Sapientes docere posset, usque ad annum trigesimum publico abstinuit, silens, & orans continuò Patrem, solitusque in Móntibus pernoctare in Oratione Dei.

Tanti nimirum faciebat salutem hominum. Adeò diligebat Peccatores, ut noluerit demandatam sibi provinciam aggredi, nisi longa veluti consultatione præmis-

ſa, qua nullatenus indigebat; aditumque tentare in corda hominum, niſi poſt omnia media diligenti diſcuſſione quodammodò explorata.

Tantæ Charitati gratias agentes diſcamus, quid in procuranda Proximorum ſalute agere debeamus. Cooperari Deo in ſalutem Animarum, ſi Areopagitæ credimus, Diviniſſimum opus eſt. Non eſt opus Prudentiæ noſtræ, non induſtriæ, non laboris. Humana arbitria regere, & volentia ducere, nolentia trahere, Divini Spiritus eſt, non humani. Vel ipſa Prophætarum verba exterius quidem ſonant, ſed cor non accendunt, Myſteria proferunt. Sed tu Domine Deus reſeras intellectum ſignatorum. Mandata edicunt, ſed tu juvas ad perficiendum. Viam oſtendunt, ſed tu confortas ad ambulandum. Ergò quid noſtræ Providentiæ, quid miſeri Peccatores noſtris conatibus innitamur, ſi vel Sanctiſſimi Viri loquentes foris tantùm agunt, Tu verò corda inſtruis, & illuminas: Illi exterius rigant, ſed Tu fęcunditatem donas. Illi clamant verbis, ſed Tu auditui intelligentiam tribuis. Thom. à Kemp. lib.3. cap.2.

Quoniam ergo Te ſilente, proficua nobis, & aliis loqui non poſſumus: neque niſi tacentes audire poſſumus loquentem verba Vitæ æternæ, præſta ut multum ſileamus antequam loquamur: & multum oremus, antequam manum operi, quod omnium operum Diviniſſimum eſt, admoveamus.

3 Labor itineris gravis non est Sancto Patriarchæ, sed jucundus. Cooperari siquidem Filio Dei, ad invisendam Zachariæ Domum, Joannemque sanctificandum erat illi jucundissimum. Ista voluptas nullum tędio aut laboris, aut itineris, relinquebat locum.

Quid igitur erit de illo dicendum, qui exultavit ut Gigas ad currendam viam ità longam, implexam, & asperam, ut licet summo polleret robore, fatigatus tamen ex itinere sedere coactus fuerit ad Fontem Sichar, Samaritanæ gratia lucrifaciendæ, quę naturæ humanæ typum gerebat: & in Horto Gethsemani sanguineo sudore manare; ac tandem alto sopore correptus in sepulchro quiescere? Via non poterat esse longior, asperior, laboriosior. Sed amor humani generis, sed ardens desiderium una cum Patre, Spirituque suo ad nos veniendi; & apud nos mansionem faciendi, omnem longitudinem, asperitatem, difficultatem ademit viæ longissimæ, asperrimæ, laboriosissimæ.

Quis dignas tanto Amori grates rependat? quid non tentandum, quid operis quamtumuis ardui aggredi non decet ad majorem Dei Gloriam, Proximorumque utilitatem, ut grati simus?

Ut autem desides animos excitemus, ad veros Imitatores JESU æmulandos, illorum dicta, & facta identidem recolamus. Videamus, & attentè consideremus quid scribat Apostolus 2. ad Corinth. 11.22.

ſeipſum cum æmulis ſuis, & pſeudo Apoſtoli componens. Hæbrei ſunt, & ego. Iſraelitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt (ut minus Sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A' Judeis quinquies, quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum. Semel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in Civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis Fratribus; in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in injuriis multis, in frigore, & nuditate. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?

Et cap. 12. ejuſdem Epiſtolæ 14. Ecce tertiò paratus ſum venire ad vos, & non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent Filii theſaurizare Parentibus, ſed Parentes Filiis. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe prò Animabus veſtris, licet plus vos diligens minus diligar.

4 Quantò magis Sanctus Ioſeph Zachariæ ſedibus propinquabat, tanto majori gaudio perfundebatur. Qui enim multum amat, multumque deſiderat beneficia

cia conferre, eò abundantius gaudet, quò propinquior est beneficii collatio.

Quid ergo mirum, si dicebat Dominus: Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor usque dum perficiatur? Hoc enim dicebat morte appetente, qua mortem nostram erat occisurus, & qua deleturus erat peccatum impediens suæ Divinitatis adventum in Animas nostras: & quò propius mors accedebat, eò plenioris lętitiæ signa prodebat. Ideò invitatus à suis Jo. 7. 10. ad Festum Scenopegiæ dixit: Vos ascendite ad diem Festum hunc: Ego autem non ascendo ad diem Festum illum, quia meum tempus nondum impletum est. Quid est hoc tempus implendum? Illud nimirum, quod unicè spectabat, & expectabat. Tempus videlicet passionis, & mortis. Tempus hoc vocat tempus suum, tamquam sibi maximè Festum, atque solemne, & cum tabernaculorum Festo minimè conferendum.

Sed cur postea ascendit, quasi in occulto? quià si manifestè ascendisset, interfectus ab inimicis odio flagrantibus fuisset, antè præfinitum tempus à Patre; nisi divinitùs mortem evasisset. Tempus hoc summoperè expetebat: Sed adhuc voluntas Patris obstabat. Igitur inter duo extrema sibi opposita eximiè coarctabatur. Volebat Baptismo sui sanguinis baptizari; sed pari voluntatis ardore volebat Voluntatem Patris impleri. Ideò dixit: Vos ascendite ad diem Festum hunc; ego autem

non ascendo ad diem Festum istum, quià tempus meum nondum impletum est: neque cum isto Festo Scenopegiæ jungendus est dies Festus mihi omnium celeberrimus.

Ita ne Domine JESU diligis nos, ut solum diem illum tibi celeberrimum, ac jucundissimum putes, quo prò Peccatoribus moreris? dicisque nondum advenisse tempus tuum, quià nondum Crucem ascendis? Ità planè est. Per mortem enim discedens à nobis, tibi aditum aperis, quo venis ad nos, & manes in nobis.

Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Quid est hoc? inquit Divus Augustinus in Io: tract. 28. Nondum venerat tempus Christi? Quarè ergo Christus venerat, si tempus ejus nondum venerat? Non nè audimus Apostolum dicentem: Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum? Si ergo in plenitudine temporis missus est, quando debuit missus est; quandò oportuit, venit. Quid ergo est: Tempus meum nondum venit.

Respondet sibi Augustinus dicens: Tēpus Gloriæ meæ nondum venit. Sed quęnam est gloria, de qua loquitur Augustinus? Numquid opprobriis saturari, cum sceleratis reputari, & prò mortem inferentibus mori? Si hæc summa Christi voluptas. & gloria est, Absit à nobis delectari, absit gloriari, nisi in illa Cruce, in qua Dominus summum gaudium, summam gloriam collocavit.

5 Si-

5 Sicut ab incępto itinere Sanctus Patriarcha non destitit, nisi postquam in Zachariæ Domum Matrem, Filiumque Dei introduxit; ità Christus Dominus opus incęptum non intermisit, nisi postquam Domum Zachariæ donis cęlestibus cumulavit, & Ioannem in Matris utero exultantem sanctificavit, & Elisabetham, Spiritu Sancto replevit. Et quoniam domus Prophætę, Mundi totius referebat Imaginem, & unius domus Visitatio, totius Mundi Visitationi præluxit, propterea sicuti Dominus Charitate summa susceptum laborem perduxit ad exitum felicissimum; ità Charitate longè ampliorà inchoatam visitationem Mundi, ab eo tempore, quo in propria venit, & sui eum non receperunt, in singulos dies promovit, donec illam exactè perficeret. Perfecit autem totum Orbem terrarum per se ipsum, deindè per Apostolos illuminando, juxtà illud: In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines Orbis terræ verba eorum. Psalm. 18. 5. Perfecit non unum Ioannem in utero Matris, sed innumeros Peccatores in sepulchro vitiorum suorum jacentes sanctificando, juxta illud Ezechiel. 37. 4. Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis. Et dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis Spiritum, & vivetis, & scie-

tis, quià Ego Dominus. Perfecit denique Ecclesiam universam Spiritu Sancto replendo: juxtà promissionem, quæ habetur Lucæ 24.49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

Perfice Domine opera tua in nobis, qui perficis omnia. Perfice Virtutes omnes. Perfice constantiam in promovendo, & ad exitum perducendo, si quæ laudabiliter inchoavimus, ad rudes erudiendos, ad jacentes erigendos, ad errantes reducendos; ad sollicitandos inertes, & tepidos inflammandos.

6 Sanctus Ioseph unâ cum Matre, Filioque Dei ingressus domum Zachariæ, mansit ibi summam voluptatem percipiens ex affluentia Bonorum, quibus abundare cernebat Familiam cœlesti luce perfusam, Præcursorem justificatum, & Elisabethā, non suo, sed Spiritus infusi ore prophetantem.

Quonam igitur gaudio exultavit, qui Patre suo putatitio, & Matre Virgine precunte, easdem sedes ingressus, fecit de tenebris lucem splendescere, & Ioannem in Matris utero exilire, & Elisabeth suo spiritu plenam futura prædicere?

Sed hæc fuere initia gaudiorum. Enim verò, quo gaudio perfusus est, quando Mundum ingressus concinentibus Angelis pacem hominibus bonæ voluntatis nunciavit? Quando Veritas de terra orta est, & Iu-

& Iustitia de Cœlo prospexit? hoc est, quando ipse, qui Veritas est de Matre Virgine ortus est: & quando ipso in lucem edito cœpit vera Iustitia de Cœlo descendere, & Homines per Fidem Christi justificare, ut inquit Bellarminus in Psalm. 84. 11. Quando Misericordia, & Veritas objaverunt sibi, & Iustitia, & Pax osculatæ sunt? quando Reges Orientis ad Præsepe nova Stella deduxit? Sed necesse non est ire per singula. Non pigeat tamen, omissis aliis, illius temporis meminisse, quandò gloriosissimæ Vitæ curriculum emensus traxit omnia ad se ipsum. Ad hoc enim venerat. Ad hoc discessit à nobis, ut apud nos maneret, & maneret usque ad consummationem sæculi, docens, regens, visitans, & de nobis, & in nobis exultans.

O' nostrarum Visitator Animarum! O'Amor Collium Æternorum! quo Amore ardes erga tam frigidos in amando? Deliciæ tuæ esse cum Filiis Hominum. Cur deliciæ nostræ non sunt esse cum Filio Dei? Disrupisti jam Cœlos, & descendisti, uti desiderabat Isaias 64. 1. A facie tua Montes superbi defluxerunt: sicut exustio ignis contabuerunt, & in Pœnitentiæ cineres resoluti sunt. Aquæ frigidissimæ cordium humanorum arserunt illo Igne, quem in terras mittere venisti, & voluisti vehementer accendi: nostra verò corda sicut hactenus riguerunt; ità durissimo adhuc gelu rigescunt. Sed non rigebunt inposterum, si Tu nolueris. Non rigebunt, si

ege-

egenos, & vacuos de Tua Plenitudine dabis accipere.

MEDITATIO IV.

De Lotione pedum Eucharistiæ Institutioni præmissa.

1 ANte diem festum Paschæ sciens IESUS, quià venit hora ejus, ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Et Cœna facta, illa nimirum, quę sequebatur ad esum Agni Paschalis, abluturus pedes Discipulorum suorum surgit à cęna, ut habetur Ioan. 13. 4.

Singulari exemplo Christi se ad lavandos Discipulorum pedes comparantis, Evangelista præmittit singularis verba dilectionis, ut intelligeremus, qua dilectione se servorum suorum seruum fecerit, & ad illorum se pedes abiecerit, antequam ex hoc Mundo transiret ad Patrem. Quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonnè qui recumbit? Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat. Lucę 22. 27. Verum quoniam illotis pedibus, ad mensam Regis Invitatos sedere non decet, idcircò non solum mensæ, sed ne abluendorum quidem pedum refugit mini-

sterium. Et quidem non perfunctoriè, ac negligenter, ut Maldonatus advertit, sed tanto studio, tanta sedulitate, ut nihil unquam aliud per totam vitam egisse videretur. Ideò surgit à mensa. Ideò vestimenta deponit. Ideò linteo se præcingit. Ideò suis manibus mittit aquam in peluim.

Ergo Domine IESU ut nobis ministres surgis à cœna? Neque solum surgis à mensa Paschali, sed à cęna Beatitudinis? Propterea enim de Comprehensore Viatorem pariter te fecisti, ut posses obnoxius esse labori, & incomodis ministerii. Tu surgis à Cœna Felicitatis Æternæ, ut Convivis ministres, & illorum abluas pedes antequam recumbant: Nobis verò natis ad laborem, molestum erit surgere à mensa felicitatis terrenæ, quæ miserabilis miseria est, non felicitas? Absit, ut nobis hoc molestum sit. Surgemus, ut ministremus Tibi, & initium ministerii nostri erit ad pedes tuos procidere, & illos profusissimis abluere lacrymis, lugentibus oculis miseriam nostram, & animis implorantibus misericordiam tuam.

Atque utinam surgere à mensa possemus, non solum ut pedes tuos lacrymis veræ Pęnitentię rigaremus, sed etiam, ut Tibi de nobis cęnam instrueremus, tantoque Convivæ exhiberemus panem illũ, de quo Martyr Sanctissimus dicebat: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar; & similiter exhiberemus aquam timoris, in-

vinum amoris jussu tuo mirabiliter commutatam. Ut enim docet Seruus tuus Bernardus Serm. 13. inter parvos: Cum Hydriæ plenæ factæ sunt usque ad summum, tunc aqua vertitur in vinum bonum, quià nimirum ordo rationis est, ut si timor est initium Charitatis perfectum, sequatur etiam plenitudo dilectionis.

2 Ponit vestimenta sua. Vide Anima mea accuratam ministrandi rationem. Ut in omne opus ministerii sit expeditior, abiicit impedimenta vestium. Tu verò quid agis Anima desidiosa? Adhuc otiosa, adhuc delicata sedes ad mensam amoris proprii, & circumdata tot habitibus vitiosis, nè unum quidem habitum hactenùs exuisti, ut præsto esses Regi Regum obsequio promptiori. Pudeat te tui, & ad illam depositionem vestium, disce deponere vitia tua, disce te ipsam exuere, ut induas Dominum nostrum IESUM Christum. Nulli impedimento erit ista Vestis ad illi ministrandum.

Si adhuc in ancipiti hæres, vide quæ alia vestimenta longè diversa deponat, ut tibi famuletur. Ab initio vitæ, ut superius indicatum est, statum Comprehensoris, Viatorisque conjungens, è Beatitudinis suæ cęna surrexit, & ut familiarius secum ageret, & lavaret, & recumbenti ad mensam ministraret, suæ Potentiæ, Majestatis, & Magnificentiæ signa, veluti ornamenta exteriora deposuit, Divinitatem suam occultavit, ac tamquam Deus

ab-

absconditus in terris visus est, & cum hominibus conversatus. Si enim circumdatus prodigiis Omnipotentiæ suæ, si Luce, quam inhabitat, coronatus apparvisset; quis magnitudinem ferre potuisset? Ut ergo ad illius præsentiam non trepidares, ut illius obsequia sine metu, sine alienatione mentis admitteres, exuit quodamodò se ipsum, & induit naturam tuam.

Si hæc ità se habent, cur tu similiter non exuis te ipsam, ut illum induas? Si hoc egeris, ille tibi veste deposita ministrabit, & illi tu servies abiectis omnibus impedimentis. Nulli deeris obsequio, poterisque in singula momenta dicere: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Cantabo, & psalmum dicam: hoc est serviam Tibi voce, serviam operibus. Paratum cor meum erit ad opera Pęnitentiæ, per lotionem pedum adumbratæ: & paratum cor meum erit ad mensæ delicias, quoties ad illas vocabor.

3 Cum accepisset linteum præcinxit se: Io: 13. 4. Si consideretur Dominus in forma Hominis linteo se præcinxit Sanctitatis, & innocentiæ incontaminatæ, qua uteretur ad Animas nostras lotas in sanguine suo, cęlesti consolatione afficiendas. Si verò consideretur in forma Dei præcinxit se. Humanitate innocentissima, tamquam Lino mundissimo, ad easdem Animas abstergendas, mundandas, gratasque suis oculis exhibendas.

Sed quomodò inquies, utroque genere lin-

lintei Animæ noſtræ terguntur? Lavantur primò in ſanguine Agni, quod fieri non poteſt ſine deteſtatione, & dolore Peccatorum. Non enim divini Sanguinis efficacia applicatur Animæ expiandæ, niſi divinæ lotioni, Pęnitentiæ lacrymæ pręmittantur. Iam verò Animæ pretioſo è balneo emergenti applicat Dominus in forma Hominis, & per cognitionem, & amorem, veluti admovet linteum Sanctitatis, qua præfulget; ſive in forma Dei admovet linteum Humanitatis, quam aſſumpſit, & ſic męrorem omnem, læſęque Iuſtitiæ metum abſtergit. Dum enim Anima Pęnitens gratia ſanctificante donata, conſiderat excellentiam Dominicæ Sanctitatis, cordiſque latitudinem, qua Chriſtus Dominus, & in forma Dei, & in forma ſervi, nos dilexit, poſuitque Animam dilectam prò nobis, ſumma voluptate perfunditur, omnique mœrore deterſo gaudet ſe ad vitam de morte translatam, proficienſque de virtute in virtutem, quæ priùs timore, ac dolore, nunc lætitia, cęleſtique conſolatione utitur ad currendam viam mandatorum Domini.

Ad hoc facilius percipiendum conſideretur, quod ſicuti corpus aqua perfuſum, & omni inquinamento expiatum, mundo lino abſtergitur, & abſterſum, quemdam nitorem acquirit, & quamdam hilaritatem: Sic Anima Pęnitens in Agni ſanguine à noxis, ſive gravibus, ſive levibus expiata, ſed adhuc rorans lacrymis Pęniten-

tiæ,

tiæ, si Linum mundissimum humanitatis assumptæ per intellectum, & affectum, illi admoveatur, excluso metu luctuque oblivioni tradito, luce quadam hilaritatis perfunditur, sentitque tristitiam omnem in gaudium esse conversam.

Gaudet enim primò de illius innocentia, qui peccatum non fecit.

Gaudet secundò quod tanta Sanctitate præditus ità dilexerit Peccatores.

Gaudet tertiò quod omnes omninò possint de plenitudine tantæ Sanctitatis accipere.

Gaudet quartò quod ejusmodi Gaudium non sit inane, & infęcundum, sed ferax origo virtutum, omnisque perfectionis.

4 Mittit aquam in peluim. Aqua Discipulorum pedibus abluendis adhibita, significabat lacrymas, quas prò nobis effudit ubertìm Dominus à Nativitatis exordio usque ad finem vitæ, quando cum clamore valido, & lacrymis axauditus est pro sua reverentia; significabat sudorem, quo sepius maduit per invia, & avia perditam ovem quærens; significabat Baptismum sanguinis, quo babtizari adeò vehementer optabat; significabat denique merita infiniti valoris, quibus prò nobis satisfecit, & omnium peccata delevit.

Hæc omnia, in balneum salutare convertit, quod nobis reliquit, Sacramentorum veluti vasis quibusdam contentum. Sacramenta enim moraliter continent pre-

tium sanguinis, & meritorum ejus; imò Sacramentum Eucharisticum reipsa continet ipsum Gratiæ fontem, & sanguinem illum pretiosissimum, quo abluimur, licet ipsissimi simus, qui manus nostras Peccatorum omnium manibus adiunximus ad illum effundendum.

Dum ergo mittentem aquam in peluim aspicimus; eumdem nobis ob oculos proponamus sanguinem suum, unâ cum valore meritorum omnium in Sacramentorum vasa mittentem, ut in promptu habeat, undè nos faciliùs, modoque sensibili nobis accomodato, quotidiè possit abluere, mensæque suæ dignos efficere.

Quis ad Amoris tanti prodigia non alienetur à sensibus, & extrà se positus, quo se vertat, ignoret? Eumdem sanguinem quo nos inebriat, tribuit in lavacrum: nec alio Fonte nos lavat, nisi quo sitim levat?

Ergò quanti facere Sacramenta necesse est, Sanguinem Domini unâ cum sudore, lacrymis, doloribus, & operibus omnibus continentia? Et præcipuè quas gratias persoluere debemus prò Sacramento Baptismi, & Pęnitentiæ? Enim verò utroque mundamur, dignique illa mensa efficimur, ad quam sedet Dominus cum Discipulis suis, & in qua Dominus manducatur, & bibitur. Magnum beneficium est lavari in Sanguine Agni Sacramento Pęnitentiæ contento: Longè majus eodem Sanguine sedentes ad mensam refici, & inebriari, quo loti sunt.

5 In-

5 Incipit lavare pedes Discipulorum; & extergere linteo, quo erat præcinctus.

Dum pedes corporeos Discipulorum ablueret simul incorporeos abluebat, mundans affectus, & corda purificans. Consideretur attentè Humilitas Domini, & Charitas, & infinita Dignatio. Quod enim attinet ad mysticam Lotionem, quod olim fecit in Cęnaculo, nunc etiam facit in tota Ecclesia, quæ Cęnaculum est grande, stratum, ubi quotidiè Augustissimæ cęnæ Convivæ innumeri adhibentur.

Nunc autem facit, quod olim fecit, quià omnes Justi prius Lavacro Regenerationis abluti, deindè si primam Innocentiam amiserunt, Sacramento Pęnitentiæ expiati, à gravioribus inquinamentis, idem Sacramentum repetunt, ut à noxis etiam levissimis expurgentur. Sed quænam est illa manus, quæ peccata dimittit? Numquid Sacerdotis dicentis: Ego te absolvo? Se habet quidem hæc per modum Instrumenti. Verum causa effectrix potissima, & principalis manus est Principis Pastorum secundum ordinem Melchisedech.

Ergo ut à noxis quamtumuis levibus nostri mundentur affectus, debet Sacerdos Altissimus ad nostros quodamodò pedes procumbere, & illos manibus omnipotentibus, & infinitè beneficis abluere; neque hoc munus alteri demandare potest, quià ad remittenda peccata etiam levissi-

ma

ma vis requiritur, & Authoritas infinita. Docuit hoc D. Augustinus in Evang. Io: tract. 56. ubi ait. Affectus humani, sine quibus, in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, ut si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quotidiè igitur pedes lavat nobis, qui interpellat prò nobis, & quotidiè nos opus habere, ut pedes lavemus, in ipsa Oratione Dominica confitemur, cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra.

Quantum igitur Sacerdotis æterni Dignationem admirari, tantum detestari, ac lugere nos decet pulverem pedum, nostrorumque etiam minimas labes affectuũ, quibus abluendis, nullæ aquæ sufficiunt, præter illas, de quibus dixit Dominus: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: imò quibus tollendis, nullæ manus sufficiunt, præter illas, quæ Mundum condiderunt.

6 Venit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? Non lavabis mihi pedes in æternum. Io: 13. 6.

Dixit hoc Petrus nesciens quid diceret. Quis enim mundare nos potest, nisi qui solus cor mundum creat in nobis? & in cujus conspectu Cęli mundi non sunt? Videntes igitur Dominum ad nos eluendos accinctum, superemus magnitudinem pu-

do-

doris, quo suffundimur, cum Apostolo Petro, necessitatis magnitudine, qua compellimur ad quærendam munditiem à plenitudine omnis Innocentiæ.

Respondit ei IESUS. Si non lavero te, non habebis partem mecum.

Pars non habentium partem cum Christo, quænam est? Post divitias, delicias, & cętera bona caduca, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Psalm. 10. 7. Et Apocalyps. 21. 8. Pars illorum erit in stagno ardenti, igne, & sulphure, quod est mors secunda.

Pars verò, de qua loquitur Dominus dicens: Non habebis partem mecum, ipse Domiuus est; juxtà illud: Pars mea Deus in æternum. Psalm. 72. 26. Et illud: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Psalm. 15. 5. Et illud: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars, & hęreditas tua in medio Filiorum Israel. Sic enim Principi Levitici Ordinis dicitur: Numer. 18. 2.

O Partem omni toto majorem! Quid prodest totus Mundus, quid prodest omne totum ab ista parte distinctum, sine qua quicquid est, nihil est? Igitur cum Beato Apostolo exclamemus: Domine non tantum pedes, sed & manus, & caput. Quod si respondeat: qui lotus est non indiget nisi ut lavet pedes: de singulari beneficio gratias unusquisque persolvat; & simul orare non desinat. Amplius lava

me

me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam enim in divinæ mensæ Conviva, non Angelica solum, sed Divina quędam munditia requiritur; & qui lotis etiam pedibus, ita secundum se totum mundus est, ut nova semper mũditia donari possit: clamare non cesset: Amplius lava me: & victo pudore, Dominum Majestatis roget, ut sibi lavet pedes.

MEDITATIO V.

De Cæso Flagellis Domino.

PRæses Romanus ad Judeorum populum tumultuantem dixit. Io: 18. 39. Est consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha. Vultis ergò dimittam vobis Regem Iudeorum? Clamaverunt ergo rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas Latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit.

Si dicitur Pilatus IESUM apprehendisse, & flagellasse, quia jussit; quanto verius illi dicendi sunt apprehendisse, & flagellasse, qui compulerunt Pilatum, ut juberet? Compulerunt autem quandò in seditionem proni dixerunt: Non hunc, sed Barabbam.

Huc animum advertite Peccatores, & vide;

videte quid feceritis. Non soli Iudęi, sed vos cum illis IESUM Barabbę posthabuistis. Vos Pilatum ad iniquam sententiam ferendam adegistis. Sed quid ista commemoro? Vos Patrem illum, qui ut nobis parceret, Filio non pepercit, vos ad percutiendum ità severè Filium compulistis, juxtà illud: Propter scelus Populi mei percussi eum. Isaiæ 53. 8.

Et quoniam ego Peccatorum omnium primus sum; Ego, Ego præ cęteris Pilatum in immane facinus præcipitem egi: Ego tortorum dexteras flagellis armavi: Ego Patrem misericordiarum ad iracundiam provocavi, & quæ mihi verbera debebantur, ad infligenda Filio innocentissimo concitavi.

Neque hoc semel, atque iterum. Sed centies, & millies. Quoties enim peccavi, toties Dominum Gloriæ Barabbæ posthabui: Hoc est mihi longè Barabba deteriori. O'Scelus! O Furor! Si Hominem propter seditionem conjectum in carcerem pluris fecissem, quam IESUm, quid fecissem? Iam verò quid feci Bone IESU, pluris illum Hominem faciendo, quem Tu Hominem fecisti, ego autem Peccatorem feci? Et quem, quantumque Peccatorem? Nec ego novi, nec alius quilibet. Tu solus nosti. Hæc feci, & tacuisti. Utinam Te tacente non taceat pupilla oculi mei, donec te loquente fiat sicut mare contritio mea, & proiiciantur in profundum maris omnia peccata mea, &

 dis-

discam tandem aliquando IESUM præferre non Barabbæ, sed illi Homini, quem licet viliorem Barabba, & nullius planè nè pretii esse cognoverim, & cognoscam, prætuli, & adhuc timeo, ne præferam Pretio totius Mundi.

2 Si verbera designatum, juxta Leges, numerum excedebant, qui cædebatur perpetua notabatur infamia. Cur ergo virgarum ictus, quibus cæditur Dominus, non solum trigesimum nonum excedunt numerum, sed quinquagesimum, sed centesimum, sed millesimum, & iterum, iterumrumque millesimum? Numquid Rex Gloriæ dicetur infamis? Quid hoc rei est Bone IESU. Tu Cęli Amor, & Honor. Tu Mundi Lux, & Gloria: Tu numeraberis inter infames? Si Amori tuo non sufficiunt uulnera, nisi uulneribus addatur etiam infamia, qua laborare non renuis apud Amatores Mundi pro toto Mundo, & pro me: quid probrorum, quid contumeliarum Mundum, & me deceret pati prò Te? Quod si toti Mundo magis placeat gloria sua, quam ignominia tua: numquid mihi quoque probabitur Mundi stultitia suam gloriam tuæ ignominiæ anteferentis? & non meminero, quod quemadmodum, quod infirmum est Dei fortius est Hominibus, ità quod stultum est Dei, Sapientius est Hominibus? Absit à me illa prudentia, quam reprobasti, & illa sapientia, quam stultam fecisti. Prima ad Corinth. p. 21. Si Tu ille es, de quo dictum est: Saturabitur

tur opprobriis, cur non ego unicè memor Tui, & oblitus mei, gaudebo Tecum vilipendi, & opprobriis saturari?

Dicebat David Psalm. 16. 17. Satiabor cum apparverit Gloria tua. Da mihi Domine tantum robur virtutis, da tantum amoris incendium, ut prius desiderem tuis opprobriis, quam Gloria satiari. Cum apparverit Gloria tua, sensus omnes replebit jucunda satietas. Ergo cum appareat nunc ignominia tua, quanta deberem voluptate perfundi, si fierem particeps confusionis tuæ? Non carerem utique hac voluptate, si amarem. Sed quia non amo, totis viribus fugio, quod Amatores tui totis viribus quærunt, & quo habito Beatissimi nominantur, & sunt. Doce me Domine cum his, stultum fieri, ut sim sapiens, prima ad Corinth. 3. 18.

3 Permisit Pilatus, vel fortè etiam in mandatis dedit, ut Innocentissimus Agnus ità barbarè cæderetur, eo consilio, ut Adversariorum immanitas flecteretur, sineretque IESUM prò Barabba dimitti. Non flectitur tamen inhumana crudelitas. Fessis tortoribus recentes substituuntur, finduntur latera, inter sanguinis pretiosi rivos albescunt ossa, carnibus spoliata; devastata funditus Vinea, nova grandine verberatur. Non defervescit tamen rabies spectatorum, sed vehementiùs accenditur.

Sed quid alienam inhumanitatem detestor, meam non video? Quid enim? An

non, & ego ſiccis oculis intueor proprio natantem in ſanguine, & adiiciens peccata peccatis, non ne uulnera uulneribus adiicere pergo? O duritiem animi adamantibus duriorem! Et Ego ille ſum, cui ſempiterna Gehenæ flagella debentur. Et qui ad columnam cæditur, ille eſt. qui uulneratur propter iniquitates meas, & atteritur propter ſcelera mea, & ſine fine tunditur, ut ego liberer tunſionibus nullum finem habituris.

. Da capiti meo aquam Domine IESU, & oculis fontem lacrymarum, ut lugeam, quià non lugeo. Da cor paratum ad flagella omnia excipienda pro Te, & propter Te, qui ut mihi parcas, Tibi non parcis. Da ut cum Prophæta Pſalm. 37.18. dicere poſſim ex toto corde: Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Atque ut hoc dicam, non verbo, & lingua, ſed opere, & veritate, da ut attentè perpendam, & percipiam, quę ſervus tuus Auguſtinus nos docuit, ubi ait. Aliquando Peccatores in hac vita, aut non, aut minus flagellantur, quià jam deſperata eſt intentio illorum. At vero illi quibus paratur vita ſempiterna, neceſſe eſt ut hic flagellentur, quia vera eſt illa ſententia; Fili ne deficias in diſciplina Domini, neque fatigeris, cum ab illo increparis. Quem enim diligit Dominus corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Ideò ergo non inſultent inimici mei, non magna loquantur, etſi flagellat me Pater

meus.

meus. In flagella paratus sum, quià mihi Hęreditas præparatur. Non vis flagellum? non tibi datur Hæreditas. Omnis enim Filius necesse est, ut flagelletur. Usque adeò omnis flagellatur, ut nec illi pepercerit, qui peccatum non habuit. August. in Psalm. citat. 37. v. 18.

4 Igitur non solum in flagella verborum, sed etiam in flagella verberum, & plagarum paratus ero, & quià mihi prępa-ratur Hæreditas; & quia Pater cęlestis omnem Filium, quem recipit, flagellat, & quia nè illi quidem Filio pepercit, qui argui de peccato non potuit. Atque ut magis paratus sim, erit dolor meus in conspectu meo semper. Quinam autem erit hic dolor? Dolor meus ego ipse sum. Dolor meus super omnia Dominus meus est. Ego quidem sum dolor meus ob innumerà peccata, quæ feci. Tu verò Domine IESU es dolor meus ob innumera uulnera, quæ in corpore tuo deiicta mea fecerunt.

Ego dolor meus, quià omnibus diebus vitæ meæ concepi dolorem, & peperi iniquitatem adversum me, & adversum Te. Tu dolor meus, quià pro dolore, quem egò concepi, concepit te Mater tua in doloribus, de quibus dixisti: Circumdederunt me dolores Mortis: dolores Inferni circumdederunt me. Psalm. 17. 5. 6. Et pro iniquitate, quam peperi, peperit te Mater tua Virum dolorum, & scientem infirmitatem, ut positis supra dorsum tuum omnibus iniquitatibus meis, languores meos

ipſe ferres, & dolores meos ipſe portares?

Ego dolor meus, quià reliqui Fontem aquæ vivæ, & fodi mihi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Tu dolor meus, quià Tibi quotidiè, & omnibus offerenti aquas tuas ad bibendum, ut fiant in nobis Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, & ſimul querenti bibere de aquis oculorum noſtrorum, ne unam quidem lacrymam fundimus.

Ego dolor meus, quià doleo flagella mea, ſed quare flageller non doleo. Tu dolor meus, quia flagella tua non ſentis, ſed unicè doles de peccatis meis.

Utinam uterque dolor, ſit in conſpectu meo ſemper, ut ſemper, & amarè lugeam, quæ commiſi adverſum Te, & quæ Tu pertuliſti propter me: & ut forti animo perferam omnia flagella ſive interna, ſive externa, quæ Domino meo videbuntur pro me flagellis cęſo.

§ Non pigeat hoc loco audire Diuum Auguſtinum illa verba explicantem: & dolor meus antè me eſt ſemper, & non exiguum indè fructum decerpere. Hæc igitur habet. Quis dolor? Fortè de flagello? & verè Fratres mei, verè dicam vobis: Flagella ſua dolent Homines; quare flagellantur non dolent. Non erat iſte ſic: nempe David, de quo Sanctus Doctor loquebatur. Audite Fratres mei. Ne ſcio qui, ſi damnum patitur proclivior eſt, ut dicat: indignè paſſus ſum, quam ut conſideret, quare paſſus ſit, dolens damnum pecuniæ,

non

non dolens Justitiæ. Si peccasti, thesaurum tuum interiorem dole. Nihil habes in domo; sed fortè inanior es corde. Si autem plenum est cor bono suo, Deo tuo, quare non dicis, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est, sit nomen Domini benedictum?

Undè ergo iste dolebat? De flagello, quo flagellabatur! Absit. Et dolor meus, inquit, ante me est semper. Et quasi diceremus: quis dolor? Undè dolor? quoniam iniquitatem ego pronunciabo, & curam geram prò peccato meo. Ecce undè dolor. Non de flagello dolor; de vulnere, non de medicina. Nam flagellum medicamentum est contra peccata.

Advertendum est, quod ubi uulgata versio habet: Et cogitabo prò peccato meo, significantius ex Hębreo Sanctus Hieronymus legit: & sollicitus ero prò peccato meo. D. Augustinus verò: Et curam gero pro peccato meo, undè subjungit.

Quid est curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres: Curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam, ut sanetur? Et paulo post. Ecce de die in diem plangis peccatum tuũ, sed fortè lacrymę currunt, & manus cessant. Fiant eleemosinæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille. Eges & Tu. Eget ille ad Te. Eges, & Tu ad Deum. Tu contemnis egentem

 tui,

tui. Deus non contemnet egentem sui. Hoc est, curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumquæ facienda sunt, ad abluendum, & sanandum peccatum meum.

Vides Anima mea undè, & quare dolendum sit ex doctrina sanctissimi Doctoris.

Dolendum primò est, non de flagello, sed de causa flagelli.

Dolendum secundò: Si quis doleat de jactura bonorum pereuntium, non verò de jactura Boni incommutabilis, Thesaurique bona omnia continentis, & corda nostra unicè potentis implere.

Dolendum tertiò: Si lacrymæ currant, & manus cessent. Si cogitamus, si curam gerimus, & solliciti sumus de peccatis commissis, redimantur peccata nostra eleemosynis sive corporalibus, sive spiritualibus. Egent multi ad nos. Nos egemus ad Deum. Alienæ consulamus inopię, ut Dives in omnes, qui invocant illum, effundat in nos divitias misericordiæ suæ. Sic dolor noster convertetur in gaudium, & inopia nostra in illam Copiam, sine qua omnis copia egestas est.

6 Atrocissima verberatione finita, Domine JESU à columna solueris, humique præ virium imbecillitate, dolorisque magnitudi ne procumbis, manibus, pedibusque reptans, proprioque lapsans in sanguine vestimenta requiris, ut contegas nuditatem tuam, decenterque ad Tribunal Iudicis iterum adducaris. Om-

Omnes aſpiciunt, omnes deſpiciunt; nullaque commiſeratione tanguntur. Nemo porrigit manum, nemo præſto eſt veſtes reſumenti, & induenti: Torcular nimirum calcaſti ſolus, & de Gentibus non eſt Vir tecum. Conſiderabas ad dexteram, & videbas, & non erat qui cognoſceret Te. Pſalm. 141. 5 Numquid in tot anguſtiis Animæ tuæ me quoque conſideraſti, & vidiſti me non cognoſcentem Te? Utique non cognovi, neque adhuc ſatis cognoſco, ut impendam me Tibi, non quidem indigenti, ſed nihilominus requirenti obſequium ſervitutis meæ. Aperi Domine oculos meos, ut cognoſcam Te, & porrigam Tibi manum in Pauperibus tuis, & præcipuè in Peccatoribus ulcerum plenis, & amiſſa veſtimenta quærentibus, quibus tegantur.

O' ſi poſſem in illis te latentem agnoſcere, & pro Te, & propter Te illis præſto eſſe, ad primam ſtolam, quam amiſerunt inveniendam, & induendam, ut hac induti, poſſent ulterius induere Te.



MEDITATIO VI.

De Facie Domini in Sepulchro jacentis.

1 QVid eſt, quod Facies Domini ſudario tegitur, & intuitus ejus oculis noſtris eripitur? Numquid vultum tuum Domine iratus abſcondis? Si noſtram indignitatem attendis, nulla nobis indignatio non debetur. Qui adhuc viventem, & è Cruce clamantem audire noluimus, cum diceres: O' vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus: Non meremur videre defunctum. Solem vidimus in tua Morte lugentem, & non flevimus; Terram ſenſimus Te moriente, nutantem, & ad motus inſolitos, commoti non ſumus. Ad ſui Conditoris interitum, rupes, & ſaxa præ dolore diſcindi conſpeximus: corda noſtra cautibus duriora ſciſſa non ſunt. Ideò faciem æquiſſimo jure nobis abſcondis.

Si quis ea eſſet innocentia, qua præſtabat qui dicebat: Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere non deſeram; Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea: Iob. 27. 6. poſſet etjam fidenter dicere: Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me Inimicum tuum. Iob. 13. 24. At

quis

quis Peccatorum hoc audeat? Et multò magis quid ego interrogare præsumam, cur faciem tuam abscondas, quem toties cum alijs Lapidatoribus lapidare volui, & exire de Templo coegi, & abscondere Te?

Verum nè irascaris Domine, si tua mansuetudine compellente loqui cogor ad Te cum sim, non solum pulvis, & cinis, sed lutnm, & sordes: sed tenebræ, & Peccatum. Quomodò Faciem abscondis Peccatoribus, quibus inclinato Capite moriens Pacis osculum obtulisti? Quomodò mortuus tuum subducis aspectum sine Te morituris, qui jacentes in umbra mortis ad vitam revocasti, & ut revocares, in faciem eorum vitæ spiraculum inspirasti, dum expirares?

Ergo ostende nobis Faciem tuam, ne vitæ, quam dedisti jacturam faciamus. Si ostenderis, quęremus faciem tuam semper, ut monet Propheta psalm. 104. 4. dabimusque operam, ut alij nobiscum quærant, & in oculis amantibus simul, & lacrymantibus ferant. Neque solum Te feremus in oculis, de Te cogitando; & corde Te diligendo; sed feremus in manibus tibi laborando; feremus in humeris Crucem tuam gestando.

2 Desideravimus Domine videre Faciem tuam resolutis mortualibus tænijs, amotoque velamine, sed proh dolor! quam Faciem videmus? Hæccine Facies speciosi forma præ Filiis hominum? Quis ma estatem fronti, quis fulgorem oculis, quis in-

fidentem labijs tuis gratiam detraxit? Furornè Impiorum depopulator fuit decoris tui, an Amor tuus? Ille vtique fuit Aggressor, & quidem barbarus, & omni major audacia. Sed quanto crudelior fuit adversum Te, Amor tuus? Hic enim Furori nostro arma permisit: nam oblatus es, quià ipse voluisti. Hic Te ità miserabiliter deformavit, ut quos Peccati deformitas deformaverat, reformaret: tuique oris lineamenta nostris Animis olim impressa, sed vitio nostro planè corrnpta, penitusq; abolita restitueret. O'Cordis, ò Amoris latitudinem nullis finibus circumscriptam! Tu de formosissimo deformis efficeris, ut sicuti jubes de tenebris lucem splendescere, ità facias de nostra deformitate, antiquæ Formam Imaginis reflorescere.

Adde Beneficium Beneficio, & ut deformitati vultus tui pro nobis susceptæ grati simus, fac nos inposterum Custodes attentissimos illius Imaginis, quam pro nihilo nos habuimus, & abolevimus: Tu verò tanto cum labore, tantoque Tui dispendio renovatam restituisti. Remove à nobis omnem ansam, omne periculum relabendi in pristinam deformitatem. Remove rerum omnium fluxarum amorem, nè reformati, & in novitate vitæ ambulantes velimus iterum huic sæculo conformari.

Absit ista conformitas, quæ summa deformitas est. Non Mundo, sed Tibi quamtumlibet deformato, volumus esse conformes.

3 Ve-

3 Verum si teste Augustino in Psalm. 44. Pulcher es Domine IESV in Cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus Parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in Ligno, pulcher in Sepulchro, quo pacto deformis es? Numquid hæc ipsa deformitas, qua deformaris, pulchra est? Ità planè est. Quantumcumque deformis, pulcher esse non desinis; quià Pulchritudo tua, Sapientia tua, Iustitia tua est. Pallor, & Livor, & Macies, & quicquid aliud oris decus invasit, nullum sapientiæ, nullum detrimentum attulere Iustitiæ. Ergo æquè Pulcher in Cælo, atque in Sepulchro. Imò quo deformior, formosior nobis appares, quià è deformitatis pro nobis assumptę umbris, clarius emicat lumen Sapientiæ, & forma Iustitiæ.

Qui te minimè norunt, dicant: Non est ei species, neque decor. Non ità loquantur Sapiens, & Amans. Tu enim Sapienti, & Amanti, vbique decorus es. Etiam in tumulo, etiam decolor, & exanguis decorem tuum ostendis, non secundum faciem, sed justum judicium judicantibus. Io: 7. 24.

Illumina Domine oculos meos, ut mihi quoque innotescat quid sub tanta deformitate Pulchritudinis lateat.

Da secundò, ut sicuti cum omni Cognitore Veritatis, scire non debeo, nisi IESVM, & hunc Crucifixum; ità cum omni Amatore ejusdem Veritatis, nihil magis diligam,

gam, quam IESVM, & hunc deformem.

Da tertio, Ut Anima mea amore Tui Crucifixi, ac deformati, vitæ hujus ærumnis attrita, calumnijs appetita, obtrectarum linguis infamia notata, & cum sceleratis reputata, si non assimiletur, saltem assimilari desideret, & contendat Sponsę opprobrijs oneratæ, atque dicenti: Cantic. 1. 5. Nolite me considerare, quod fusca sim, quià decoloravit me Sol.

4 Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico. Retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Isaię 50. 6.

. Quid in grati animi argumentum retribuam Domino meo, qui Corpus suum dedit percutientibus, & genas vellentibus, & Faciem hanc Cęlo, terrisque venerandam, non avertit ab increpantibus, & conspuentibus in se? Conscius infirmitatis meę, scio quid agam. Si non sponte offeram corpus meum percutientibus, saltem percutientes feram. Et si non dabo genas meas, aut vellentibus, aut cædentibus; & si non potero non avertere faciem meam ab increpantibus, & conspuentibus in me, non querar saltem de injurijs, non irascar injurias inferentibus, non injurijs rependam injurias.

Subjungit Dominus eodem Isaię cap. 50. 7. Dominus meus, Auxiliator meus: Ideò non sum confusus: Ideò posui faciem meam,

am, ut petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar.

Igitur, & ego quantum vires patientur, ponam faciem meam, ut petram duriſſimam, adverſus omnes contradicentes mihi in via Domini. Quid de me ſenſerint adverſarij mei, quid oblocuti fuerint, quid fecerint, ut a benè cęptis deſiſtam, non curabo. Dominus enim Auxiliator meus. Nec ſolum Auxiliator, ſed Exemplar, & Præmium. Ideò non confundar.

Atque Utinam Anima mea, cui in peccatis obfirmatæ, & omni abjecto pudore, divinis vocibus reſiſtenti dictum eſt: Frons mulieris meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere. Ierem. 3. 3. Utinam, inquam longè, ſi fieri poteſt, duriori fronte reſiſteres vocibus Impiorum pietatem deridentium; & à virtutibus ad vitia evocantium.

Utinam damna pudoris amiſſi laudabiliori genere inverecundiæ compenſares; & quæ tot culpis obnoxia in conſpectu Domini videntis, monentis, objurgantis, non erubuiſti; poneres tandem aliquando faciem tuam, ut petram duriſſimam adverſus Mundum, & omnes Amatores Mundi, Crucis ſtultitiam contemnentes, deridentes, dicterijs inceſſentes.

5 Dicebat David pſalm. 30. 20. Illuſtra Faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericordia tua.

Ecce aliud Beneficium, quod à facie Domini degeneri, & veluti in tenebras commu-

mutata accipimus. Ideò enim illam Dominus obscurari permisit, ut clariùs illucesceret super servos suos; & illam superinducto mortis pallore veluti abscondit, ut nos absconderet in abscondito faciei suę à conturbatione Hominum.

Ut Beneficij magnitudinem Anima mea percipias ad verba Prophętæ diligenter attende. Quid enim est, Faciem Domini illuminari super nos? Et quid est abscondi in abscondito Faciei Dominicæ, & sic à conturbatione Hominum liberari?

Primum significat aspici nos à divina Clementia ore sereno, & Sapientiæ luce perfundi, & ardore Charitatis incendi. Secundum significat per donum contemplationis evehi super omnia caduca; & per speculum quidem, & in ænigmate, magna tamen cognitionum supernaturalium claritate rapi ad contemplandam Faciem Dei, quæ Impijs abscondita maximè est; & sic abscondi in abscondito, hoc est in loco maximè disito, ignotoque Hominibus animalibus, adeoq; non percipientibus, quæ Dei sunt. Sic absconditi, quid à conturbatione Hominum sibi metuendum putent?

Igitur, quale quantumque Beneficium habemus à Facie Domini in Tumulo obscurata, & abscondita? Ideò obscurata est, ut nobis illustrior affulgeret Ideò amisso decore abscondita est, ut Faciem interiorem Divinitatis clarius manifestaret, & sic in abcondito Faciei maximè Impios laten-

tis absconderet Contemplatores suos.

Ergo quicumque invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicitis, gratias agite, & in grati animi testificationem, nolite quærere apud Homines nominis claritatem, ut efficiamini Divinæ participes claritatis.

Mansionem absconditam intrà Vulnera Domini deligite vobis, ut experti multitudinem dulcedinis, quam ibi abscondit Dominus timentibus se, à beatis vulneribus procedere possitis ad Faciem iniquis absconditam Sic Illuminatio vestra, & Salus vestra, & Protector vitæ vestræ, abscondet vos in abscondito Faciei suæ à conturbatione hominum: Proteget vos in Tabernaculo suo, à contradictione linguarum. Psalm. 30. 25.

6 Pallor, & livor totum occupant vultum Sponsi candidi, & rubicundi. Lucidiores Sole caligant oculi. Et Labia verbis æternæ, vitę ad se omnes trahere solita obmutescunt.

Cur autem Pallor Candori, cur Livor Pudori successit? Numquid candor in pallorem versus est, ut macie pœnitentiæ spontè susceptæ pallescere disceremus, & hac ratione candorem Sanctitatis amissæ recuperaremus? Numquid ruborem livor exclusit, ut castigati corporis membra livescere doceremus, & sic mereremur accipere de plenitudine verecundię, quam peperit nobis facies Domini cœsa, saucia, tumensque vibicibus?

Cur

Cur oculi cęli, terręque illuminatores, tam alta caligine involuuntur? An quià superbiam Vitę, & concupiscentiam oculorum cernere exhorrescunt? An ut luant licentiam tot oculorum, qui quotidiè delinquunt, & non quotidiè lugent, in quibus delinquunt, licet in ipsis provida natura posuerit Visum, & Fletum; ut flendo possint delere, quę videndo committunt? An luce privantur, ut nos imprecatione illa terribili eximant: Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva? Psalm. 68. 28.

Quacumque de causa oculi Solis, sint lucis expertes, horreamus mala, quę illis displicent: & gratias agamus de bonis, quę jactura boni sui, nobis parere voluerunt. Per oculos istos amabiles, & extinctos, à Patre Luminum, & ab illo, qui mortuis hisce luminibus sociatus est Lumen de Lumine, enixè petamus, ut sint oculi nostri semper ad Dominum.

Petamus secundò, ut semper meminerimus Ioannis Apostoli epist. prima cap. 2. 11. dicentis: Qui odit Fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quià tenebræ obcœcaverunt oculos ejus.

Petamus tertio, Ut cordis oculos illuminatos à Spiritu Sapientiæ sortiti, non ad oculum seruiamus, quasi hominibus placentes, ad Ephæs. 6. 6. sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, donec eò perveniamus, ubi videbimus, quod

nec

nec oculus vidit, nec auris audivit.

Cur denique silet os aureum undè vitam hauriebamus? Non enim in solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. Numquid silet, quià non audivimus? Et præcipuè non audivimus, cum clamaret: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: omni videlicet verbo ex ore Dei procedente?

Non audivimus sanè Te, non audivimus verba tua, ò Verbum Patris, & ideò à Te Veritate, & Vita nostra defecimus. Non audivimus amantissimum Dominum loquentem, numquid etiam tacentem audire detrectabimus? Nimis altè silentium tuum intonat cordibus nostris, & non audire non possumus voces, quibus interiores aures nostras acutissimè pervadis, & vulneras.

Dicebat Augustinus ad Patrem tuum. Percussisti cor meum Verbo Tuo, & amavi Te. Idem Pater, eodem Verbo percutiat nos, qui nec audivimus verba tua; neque nunc satis, neque ut par est audimus silentium tuum copiosissimè loquens. Si percusserit, amabimus Illum, & amabimus Te; quià audiemus Illum dicentem Te; & audiemus Te, per quem ab illo dictum, facta sunt omnia.

MEDITATIO VII.

De Christo Domino in Cœlum Ascendente.

1 EDuxit eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis Lucæ 24. 50.

Cum Dominus Apostolis in cęnaculo congregatis læta facie se spectandum exhibuisset, cibumque in medio eorum sumpsisset, ac dixisset: Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto, eduxit eos in Bethaniam, atque hinc in Montem olivarum, ut undè cœpit ignominia passionis, indè Gloria exaltationis inciperet.

Igitur coram Apostolis, frequentique aliorum discipulorum cœtu, una cum Matre sua, Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ, psalm. 46. 5.

Ascendit nimirum, ut D. Chrysostomus notat in jubilo Angelorum, & voce tubæ non sensibiliter personantis, sed immateriali modo plaudentis,& Ascendentis Gloriam promulgantis. Non sunt enim auditi Angelorum Chori, celebrantium ascensum, sicut olim celebravere descensum in Mundum, & ideò auditi non sunt, ne mentes Apostolorum huc, illuc divisę, minus attenderent contemplationi spectaculi atten-

tentionem omnem sibi vindicantis.

Quid enim mirabilius primò, quam Naturam humanam, cui dictum fuerat Genes. 3. 20. Pulvis es, & in pulverem reverteris, super omnes Cœlos, imò super omnia, quæ Deus non sunt, exaltari?

Quid mirabilius secundò, quam ità exaltari, non solum postquam in mortis pulverem deducta fuerat, juxta illud: In pulverem mortis deduxisti me: Psalm. 21. 16., sed postquam Peccatorum pedibus fuerat quasi lutum platearum æstu siccatum, proculcata, contrita, in pulverem comminuta, ut ventorum facta ludibrium, à facie terræ projiceretur.

Quid mirabilius tertiò, quam Christum ità ascendentem, esse nostræ, quis credat? futuræ ascensionis exemplar, imò & sessionis? Dicit enim Apocalyps. 3. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in Throno ejus.

Singula recole, Anima mea, & è singulis ascensiones in corde tuo disce disponere. in hac lacrymarum valle, ubi hærere non debes, sed eò, ubi vera sunt gaudia per omnes virtutum gradus ascendere.

2 Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in Cœlum euntem illum: ecce duo viri astiterunt juxtà illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilei quid statis aspicientes in Cœlum? Hic IESUS &c, Actor. 1. 9.

D. Au-

D. Auguſtinus in Pſalm. 46. 5. Ibi erat & vox tubæ, vox illa Angelorum: Viri Galilei quid hic ſtatis? Hic eſt IESUS quaſi dicerent: ſi creditis illi, quo Crucifixo nutaverunt vobis pedes; quo occiſo, & ſepulto ſpem vobis perijſſe putabatis, ecce Ipſe eſt IESUS. Aſcendit antè vos, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis euntem in Cœlum.

Tollitur quidem corpus ab oculis veſtris, ſed non ſeparatur Deus à cordibus veſtris. Videte aſcendentem, credite in abſentem, ſperate venientem, ſed tamen per Miſericordiam occultam etiam ſentite præſentem. Ille enim qui aſcendit in Cœlum, ut tolleretur ab oculis veſtris, promiſit vobis dicens: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſæculi. Meritò & Apoſtolus ſic nos alloquebatur. Dominus in proximo eſt. Nihil ſolliciti fueritis. Sedet ſuper Cœlos Chriſtus, & longè ſunt Cœli, & ipſe, qui ibi ſedet propè eſt. Ità Auguſtinus.

Ergo, ut ſubdit Propheta v. 6. Pſallite Deo noſtro, pſallite: quoniam Rex omnis terrę Deus: pſallite Sapienter.

Sæpiùs iteratur pſallite, quià non una eſt cauſa pſallendi: Domino enim aſcendenti pſallendum eſt, quià Deus noſter eſt. Pſallendum eſt denuò, quià cum tantus ſit, Rex noſter eſſe non renuit. Adhuc pſallendum: quià non ſolum Rex noſter, ſed omnis terræ, omniumque Regnorum Rex eſt. Denique ſapienter pſallendum, quià ſum-

ma cum attentione illi obsequium nostrum persolvendum, qui Sapientia sua rationem adinvenit, qua ita discederet à nobis, ut maneret apud nos, ut maneret in nobis, & ut nobiscum esset vsq; ad consumationem sæculi.

Si nobiscum ità amanter est, cum illo pariter esse conemur: & si manet in nobis, in Ipso per sapientiam, & amorem jugiter maneamus.

3 Ad Ephesios 4. 8. Ascendens in Altum captivam duxit captivitatem.

Christus Dominus Triumphantis in morem ascendens, magnam secum multitudinem captivorum evexit, non de sua captivitate lugentium, sed exultantium. Fuerant priùs Captiui mortis atque Peccati. Iam verò de morte ad vitam translati, de peccato, pœnisque peccati, ad Sanctitatem, & Gloriam, gloriabantur de Captivis diaboli, se Filij Dei factos esse Captivos.

Sed quænam sunt vincula felicissimæ Captivitatis? Numquid Sapientiæ? Numquid vinculla Charitatis? Hæc planè sunt, & alia non sunt. Nam quibus alijs nexibus possunt Iustorum Animæ illigari? Rursum quis cognoscat desiderium collium æternorum, & non amet? Quis amet, & non trahatur Captivus, & catenas, quibus trahitur, non osculetur?

Trahe me post Te, curremus in odorem unguentorum tuorum, dicebat Sponsa, Cantic. 1. 3. Si unguenta Vestimentorum, hoc est Humanitatis ità fortiter trahunt: quid

quid faciet fragrantia, qua redolet ipsa Divinitas?

Antequam perfectissima illa, qua nos Christus Dominus donaturus est Libertate donemur, discamus adhuc in hac vita degentes, duræ servitutis jugum excutere. Pudeat inani gloriæ servire; Pudeat rumores popularis auræ captare. Non trahamur studio rerum affluentiæ minimè necessariarum, non voluptatum illecebris, non promissis fallacibus Dicētis ad unumquemq; nostrum: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Verum illi soli subesse placeat, illius esse Captivos, qui solus est nostra Libertas.

4 Ad Ephesios 4.10. Qui descendit, ipse est, & qui ascendit, super omnes Cœlos, ut impleret omnia. Primus gradus Christi Domini descendentis fuit usque ad Carnem. Nam VERBUM CARO factum est. Secundus fuit usque ad Crucem. Nam gaudio sibi proposito Crucem sustinuit confusione contempta. Tertius gradus fuit usque ad mortem, & sepulchrum. Humiliavit enim se usque ad mortem, conditusque in sepulchro, in quo nondum quisquam fuerat positus.

Descensus gradibus, tot respondent gradus Ascensus. Primus gradus Ascensus fuit Gloria Resurrectionis. Secundus exaltatio super omnes Cœlos. Tertius, sessio ad dexteram Patris.

Ideò ascendit, quià descendit. Et quià ità profundè se demisit, ad fastigium tantæ sublimitatis excessit. De-

Descende quantum potes Anima mea; & primò quidem pulveris, limique tui memineris, ut conscia infirmitatis tuæ, non altum sapias, sed viribus Divinis freta mortem peccati vincas, & sic de pulvere tuo gloriosè resurgas.

Deindè stultitiam, & ignominiam Crucis libenter amplectere. Sic enim te Crux Sapientia coronatam, & Gloria, exaltabit in Cœlum.

Postremò tibi satis non sit mori tibi, & Mundo; sed ità mortuam, non qualecumque sepulchrum, sed medio in agro fossa humus excipiat, & superiniecta humus tegat, ut Cœli terræque pateas injurijs, pedibusque huc, illuc transeuntium premaris, & conteraris. E' tali humiliationis, & patientiæ tumulo, ad Thronum Filij Dei conscendes, ibique sedebis, ubi sedent omnes Animæ fastus, omniumque cupiditatum victrices. Apocal. 3. 21.

5 Psalm. 23. 3. Quis ascendet in Montem Domini; aut quis stabit in loco Sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano Animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Dicitur Cœlum Mons Domini, quià sicuti Montes supereminent terræ, & omnium oculis patent, ipsisque nobilissimæ Urbes supextructę visuntur: ità Cœlum toti terrarum Orbi supereminet nullique non spectabile est, verticique suo gerit impositam Civitatem amplissimam Beatorum. Quis autem Montis huiusce fasti-

gium superabit? Si testimonium Prophætę accipimus:

Superabit primò. Innocens manibus.

Superabit secundò: Qui mundo corde est. Non sufficiunt munndę manus. Mundis operibres cordis mundities debet accedere.

Superabit tertiò. Qui non accepit in vano Animam suam, hoc est, qui finem a Deo sibi præstitutum fideliter antè oculos habuit, illumque feliciter attigit, illa solum faciendo, dicendo, cogitando, quę obtinendo fini congruebant.

Superabit quartò: Qui non jurauit in dolo Proximuo suo, hoc est qui non peccavit labjis suis. Ponitur enim unum peccatum mendacij, atque perjurii prò peccatis omnibus, quę per instrumentum linguę committuntur.

Ergò, inquies, prętere Christum nullus ascendet. Solus e.. m est, qui peccatum non fecit, & non est inventus dolus in ore ejus.

Verùm nè animo concidamus. Nemo quidem virtute sua potest ascendere, sed potest virtute Christi, qui lavit Ecclesiam in sanguine suo, illamque sibi gloriosam exhibuit non habentem maculam, neque rugam. Ille tribuet munditiem cordis. Ille cujus in ore dolus inventus non est, veraces nos faciet, & qui nobis remedi a contulit ad salutem, non permittet se nostram Inutiliter viam esse voluisse, qua ad Veritatem, & Vitam pervenire possemus.

Igi-

Igitur Ascendentem in Montem Dei, spe, sanctisque desiderijs comitemur, ut ibi sit cor nostrum, ubi Thesaurns est noster.

6 Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales,& introibit Rex Gloriæ. Psalm. 23. 7.

Alloquitur Prophęta more poetico Angelos, Cœlique porras, ut Bellarminus advertit, dicitque Angelis, non aperite, sed portas attolite: Portis verò non dicit reseramini, sed elevamini. Portæ siquidem Cœli non aperiuntur ad latera, quasi in pariete, sed aperiuntur sursum versus tamquam in laqueari. Igitur attolite portas Principes Cœlestis militiæ, totasque copias reseratis portis effundite Ascendenti, uti par est occursuri, partasque victorias gratulaturi.

Quid moras nectitis Beatissimi Spiritus? Attolite portas, & Regi vestro, & nobis. Semel enim elevatæ, semel reseratæ non claudentur amplius; juxtà illud: Et portæ ejus non claudentur per diem. Non enim nox erit illic. Obsequium, quod Regi vestro præstabitis, nobis quoque proderit, & vobis. Nobis, quià Cęlo jam patente, membra caput suum sequentur. Vobis, quià Clientes vestros, quos ità diligitis, tamquam Regni socios habere incipietis, & prò vestra erga nos benevolentia gaudebitis.

Sed cur Angeli, ter interrogant, quis est iste Rex Gloriæ, antequam aperiant? Num-

quid Christum ignorabant? Rursum, cur non aperiunt audientes, quod erat Dominus Fortis, & Potens, Dominus potens in pręlio: aperiunt verò audientes: Dominus Virtutum ipse est Rex Glorię.

Verùm Cęli Principes nulla ignorantia laborarunt. Ter autem interrogarunt; quis est iste Rex Gloriæ, ad exprimendam rei novitatem, quæ illos inusitata planè admiratione defixos tenebat; dum Homo Crucifixus, & mortuus, non tamquam Hospes, sed tamquam Dominus, & Rex, cęleste Regnum ingrederetur. Quod mirati sunt Angeli, miremur & nos alta contemplatione suspensi.

Quod verò ad alteram dubitationem attinet, non attolunt Angeli portas ad Nomen Fortis, & Potentis, & Domini potentis in Prælio; quià nomina illa videbantur solum alludere ad Potentiam exercitam in Hominibus liberandis. At ubi audierunt; Dominus Virtutum, hoc est Exercituum, portas reserarunt; quià ad illa verba: Dominus Virtutum, in memoriam revocarunt, se non solum esse Filii Dei servos, ut Creatoris, sed etiam ut Liberatoris. Homines enim liberavit Filius Dei Incarnatus postquam ceciderunt. Angelos liberavit antequam caderent, illos videlicet à lapsu præservans. Ergo Angelorum exemplo, qui per merita Verbi incarnati in Veritate steterunt, summo existimationis loco habeamus beneficium Redemptionis,

Et

Et quoniam licet tanta cum Gloria Cœlos conſcenderit, ſedeatque ad dexteram Patris, tanti facit Animas noſtras, ut in illas ſibi patere ingreſſum poſtulet: portas omnes, & corporis, & Animi illi aperiamus, ut Creatori, ut Illuminatori, ſed potiſſimum, ut Liberatori. Magno enim pretio emit nos,



HEBDOMADÆ TERTIÆ,

Meditatio Prima.

De Sanctitate Divinæ Parentis.

1 FUndamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Psalm. 86. 1.

Civitas Dei est Ecclesia militans. Civitas longè clarior Ecclesia triumphans. Clarissima verò est, quam utriusque Civitatis decora complectentem, & excessu mirabili superantem, in Regni sedem elegit Altissimus, nominavitque præ cæteris Ierusalem, hoc est visionem pacis, quoniam ex ipsa processit tamquam Princeps pacis; & qua die processit, justitia, & pax osculatæ sunt.

Si ergo de hac Civitate sermo sit, quinam sunt montes sancti, quæ illius fundamenta dici possint? Numquid Sancti, Angelique omnes? Si firmitate, & soliditate sua illam fulcire intelligantur, fundamenta non sunt. Si verò fundamenta dicantur, quià ubi ipsa desinunt, inde celsissimæ Civitatis incipit ædificium; in hanc

planè

planè sententiam dicatur: Fundamenta ejus in montibus sanctis. Sic Cœlum Empyreum cœlis inferioribus superimponitur, sed non innititur.

Si hæc ità se habent, ergo ubi Sanctitatem cęteri consummarunt, indè Virgo sumpsit sanctitatis exordium. Ergo tanta luce refulsit à primo conceptionis instanti, quãta refulsit in ultimo gloriosi cursus articulo, aut Martyrum fortissimus, aut Apostolorum, aut maximus Spirituum immortalium.

Quot prodigia Gloriosissima Virgo tuæ conditionem Animæ comitantur? Primò enim dum conditur, immaculato corpori, immaculata conjungitur. Deindè manibus divinis egrediens Authorem suum accelerato usu rationis intelligit, reveretur, orat, laudibus effert, totis visceribus, toto corde complectitur. Denique in ejusmodi actus, non utcumque prodit, sed perfectissimè.

Conditori tuo, quià nos impares sumus gratiarum persoluant obsequium Cęlites universi, prò tot, tantisque donis tibi collatis; tuamque nobis, & concilient, & impetrent beneficentiam. Tu sine labe concepta. Nos in peccatis concepti peccata, peccatis addimus, & nullus adhuc peccandi modus. Ad nomen Virginis sine labe conceptæ gaudio exilimus. Sed ad maculas Animæ nostræ, neque ingemiscimus, neque illa tristitia tristamur, quam tantopere laudat Apostolus 2. ad Corin. 7. 10.

Quæ enim, inquit ipse, secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Tristitiam hanc salutarem, orientemque ab ejusmodi tristitia pœnitentiam tribue, ut expertes Innocentiæ, quam amisimus, primò in Protoparente nostro; deindè spontè nostra ab ineunte usu rationis miseri contaminavimus, veræ saltem lacrymis, & operibus pœnitentiæ, omnes vitæ anteactæ maculas eluamus, ut mundi mundissimis oculis placere possimus.

2 Si quæ Apocalypſ. 21. 19. Beatus Ioannes vidit, & scripsit de cœlesti Hierosolyma, longè perfectiori modo intelligenda sunt de Parente divina: quam erit Civitas ista pretiosa, atque sublimis, cum fundamentis illius nihil pretiosius, nihil sublimius excogitari posse videatur? Quis ergo urbem describere, quis animo complecti possit?

Ut è multis aliqua seligamus, consideremus, cur dicatur structura muri illius ex lapide Iaspide, ipsa verò Civitas aurum mundum, simile vitro mundo.

Dicitur primò: Structura muri ex lapide iaspide, quia iaspis lapis est firmissimus, pellucidus, & virens. Firmitas adumbrat fortitudinem, & constantiam inconcussam, qua Sanctitas virgineum Animum circumdedit, per modum muri hostibus omnibus formidabilis simul, & inexpugnabilis. Formidabilis quidem, quià quomodò non summo terrori hostibus esse pote-

rat murus illius Virginis, quę vix concepta caput antiqui Serpentis contriverat, caput videlicet Imperatoris omnium copiarum invisibilium simul, & visibilium? Inexpugnabilis verò, quia quinam arietes, quænam tormenta supererant perduellibus ad illum quatiendum, & evertendum, domito planè peccato, primoque Authore peccati?

Prima dos murorum firmitas est. Secunda pulchritudo. Ideò muri virgineæ Civitatis ex iaspide, lapide videlicet non solum firmissimo, sed pellucido simul, atque virenti esse referuntur. Lux sapientiam; color viridis amęnitatem designat, & vim delectandi oculos spectatorum.

Appositè igitur męnia de quibus agimus, constructa ex iaspide asseruntur. Quid enim clarius sapientia sapientiam Cęlitum omnium excedente? Quid amęnius, quid jucundius contemplatione, familiarique consuetudine Virginis sapientissimæ?

Liceat Beatissima Parens intrà męnia tua nos recipere. Firmissima sunt, nos ab hostibus tuebuntur. Clarissima sunt, mentis caliginem disiicient. Iucundissima sunt, tristitiam omnem vertent in gaudium.

Et quidem, quomodo tristitiam non vertent in gaudium, si conversatione, si tuo convictu nihil est delectabilius? Quomodò tenebras non discutient, si tua Sapientia speciosior Sole est, & super omnem

diſpoſitionem Stellarum, & luci comparata invenitur prior? Sapient. 7. 29. Quomodò ab oppugnatoribus non defendent, ſi ab Omnipotente, e firmiſſimo lapide conſtructa ſunt, ut nos defenderent? Si mœnia tua viſcera tua ſunt, quid timebunt Filii tui inter viſcera Matris ſuæ, Matris potentiſſimæ, de Potentia Patris, Sapientiſſimæ de Sapientia Filii, Benigniſſimæ de Bonitate Spiritus vivificantis, Spiritus in quo clamamus, Abba Pater, Spiritus teſtimonium reddentis ſpiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei. Ad Rom. 1. 15.

3 Dicitur ſecundò Civitas ipſa aurum mundum, ſimile vitro mundo.

Cur Civitas regalis nō aſſeritur e gemmis longè auro pretioſioribus coaleſcere, ſed omni alio ornamento ſemoto, nominatur aurum mundum, ſimile vitro mundo?

Ratio prima eſt, quià aliquæ conditiones auri, felicius exprimunt præſtantiam nobiliſſimæ Civitatis, quam gemmarum quarumlibet proprietates. Aurum omiſſis aliis, nullum in igne, nullum ab igne detrimentum patitur. Quinimò quo ſæpiùs arſit, proficit ad bonitatem, ut ait Scriptor hiſtoriæ naturalis. Dos ejuſmodi mirificè adumbrat Charitatis ingenium, nullum detrimentum patientis in ignibus, & ab ignibus ærumnarum; ſed majorem ſemper perfectionem acquirentis, & oſtendentis, quo pluribus, & gravioribus exercetur ærumnis. Ideò dicitur tota Civitas aurum

aurum mundum, quià Divina Parens, ficuti fuit Sanctiſſima, ità fuit perfectiſſima Charitate prædita, & quodamodò Charitas ipſa. Magnitudinem Charitatis, magnitudo calamitatum exercuit. Si enim unum Dei Filium incarnatum excipias, nullam Animam, atrocior doloris gladius pertranſivit quã Animam Virginis per tot annos in ſingula momenta morientis ex conſideratione, tum Filii ſui, morte turpiſſima condemnandi, tum Peccatorum tot ſcelera patrantium, & perire volentium. Nullis cladibus invicta Charitas ceſſit, ſed malis maximis major fuit, & quo magis arſit, magis enituit. Ideò Civitas ipſa aurum mundum.

Ratio ſecunda. Non dicitur Civitas aurum qualecumque, ſed aurum mundum ſimile vitro mundo. Aurum ejuſmodi ſuperat pretium omnium gemmarum. Nam quid pretioſius auro ſibi vindicante perſpicuitatem criſtalli; & fragilitatem criſtalli, in ſuam ſoliditatem, firmitatemque mutante? Nihil ergo miremur, ſi fundamenta Civitatis, probatiſſimis conflantur è gemmis, Civitas ipſa nihil eſt præter aurum mundum ſimile vitro mundo?

Sed quid ſibi uult hoc aurum mundum ſimile vitro mundo? An ſicuti perſpicuitas, & munditia vitri fragiles ſunt ſicut vitrum, ſed auro additæ firmæ fiunt, & ſolidæ ſicut aurum: ità Claritas Sapientiæ, & munditia Innocentiæ, in ſocietatem Charitatis adſcitæ, ſoliditatem induunt Chari-

ritatis nulli malo succumbentis, & non solum fortis ut mors, sed longè fortioris? Mors enim dividit corpus ab Anima, Charitas dividit Animam à se ipsa, nihilque caducitatis relinquens in Anima, totam, quanta est immolat Deo in Hostiam vivam, sanctam, nihil sui habentem. Si Charitas hujusmodi est, quid perfectionis inesse Charitati Virginis arbitrabimur?

Salve igitur Innocentiæ, salve Regina Sapientiæ, pulchræque Parens dilectionis salve. De plenitudine tuæ Innocentiæ nos munda. De plenitudine Sapientiæ illumina. De plenitudine Dilectionis incende.

4 Civitatis in quadro positæ, duodecim portæ sunt. Nam Teste Divo Ioanne Apocalypſ. 21. 13 Ab Oriente portæ tres. Ab Aquilone portæ tres. Ab Austro portæ tres. Ab Occasu portæ tres.

Æternitatem immutabilem Civitatis significat figura quadrata. Tres verò portæ per quælibet latera ad quattuor Mundi plagas conversæ, designant amplitudinem Providentiæ, & Charitatis, nullas nationes, nulla regna, Peccatores nullos à sua Beneficentia excludentis, sed omnibus patentis, omnes respicientis, invitantis, expectantis, & intra sua viscera excepturæ Orientem, & Occasum, Aquilonem, & Austrum.

Si Sanctitas tua, Parens amplissima, ità benigna est, ità magnanima, & augusta, quid de Te sperare non possumus, & debemus? Quid Iudicia divina considerantes im-

immodicò timore turbemur? Quid nimiū solliciti de cursu vitæ præteritæ, de ratione præsentis, atque futuræ, de incerto perseverantiæ beneficio, & similibus curarum omnis quietis expertium fluctibus agitamur?

Tuæ ab omnibus lateribus patent portæ. Patent nimirum, non solum ab Oriente venientibus, quos videlicet prævenit Deus in benedictionibus lucis, atque dulcedinis; sed patent etiam venientibus ab Occasu, quibus per peccatum occidit Sol Iustitiæ, & quibus cum Sole gaudium omne subducitur. Sic patent non solum iis, quos mittit Auster Charitate flagrantes: sed etiam quos mittit Aquilo, cordibus dutissimo gelu rigentibus.

Accedit portas esse Civitatis in quadro positæ. Sicut illa æternum stabit; ita portæ æternum patebunt. Ergo summa cum fiducia ad Civitatem beatissimam accedamus. Omnibus referata est. Neque nostra nos turbet indignitas. De indignis, faciet nos dignos ipse accessus. In ipso itinere immutabimur: & ab Occasu, vel Aquilone profecti, illorum luce illuminabimur, qui primi lumina Solis excipiunt; & illorum æstu calebimus, qui loca incolunt ad meridiem Charitatis. Si ad Urbem Partheniam talis erit accessus: qualis in illam erit ingressus?

5 Angelus, de quo Apocalyps. 21. 16. mensus est Civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia; & longitudo,

do, & altitudo, & latitudo equalia sunt.

Longitudo aptè significare potest, vel longanimitatem in tolerando, vel immutabilem durationis tractum in benè cęptis. Latitudo extensionem Charitatis, ad omnes virtutes, & opera virtutum. Altitudo sublimitatem Sapientiæ, & contemplationis. Profunditas, quæ sub altitudine comprehenditur, profunditatem humilitatis.

Sanctitas enim Divinæ Parentis adhuc in hac vita degentis fuit maximè longanimis in tolerandis adversis. Fuit similiter in progressu de virtute in virtutem semper immobilis. Si cum alia qualibet sanctitate Virginis sanctitas componatur, nulla majori Charitate flagravit, nulla ampliori latitudine ad omnia virtutum opera se extendit propter Deum unicè dilectum; nulla sublimiori dono Sapientiæ, & contēplationis Altissimo propinquavit: nulla profundiori Humilitate ad infima se demisit.

Maneant tibi semper tua decora Civitas magni Regis. Civitas Dei viventis. Gloriosa de Te dicta sunt Civitas Dei; ut Propheta cecinit. Psalm. 86. 2. Semperque dicantur.

Interim memor esto Raab, hoc est Ægipti. Bellarm. in Psalm. 86. 3. Memor esto Babylonis. Memor esto Tyri; Memor esto Populi Ætyopum. Omnes alienigenę sumus. Omnes Ægiptus, hoc est superbi. Omnes de Babylone, hoc est de habitatoribus confusionis. Omnes de Tyro, hoc

est

est tribulantes. Omnes de populo Æthiopum, de iis videlicet, de quibus dicitur: denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Thren. 4. 8. Omnes de Gentibus sumus. Omnes per peccatum tenebræ fuimus. Sed omnes novimus te, sed omnes in mortis umbra sedentes vidimus per Te Lucem magnam, & suspiramus ad Te.

Igitur per novam generationem renatos ex Deo per Christum, excipe nos tamquam Cives unius atque ejusdem Civitatis sanctæ Ierusalem: ubi non est Gentilis, aut Iudeus. Barbarus, & Schyta; seruus, & liber, sed omnia, & in omnibus Christus. Ad Colofs. 3. 11.

Te donante accedemus ad Te, jam non Ægiptii superbia tumidi, sed mites, & humiles corde. Jam non Babylonii confusi, sed omnium cupiditatum perturbationibus libertati, per eum in quem speramus, & per quem facies nostras non operiet ęterna confusio: Jam non Tyrii tribulantes, & molesti hominibus, & Deo, sed mansueti, pacifici, & benigni: jam non Æthiopes, sed in sanguine Agni dealbati.

Atque utinam antequam veniamus ad Te, efficiamur per Te Nazarei candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Threnorum 4. 7.

6 Si cum esses apud nos Virgo mirabilis tanta fuit amplitudo tua, qualis, & quanta erit; postquam Cęlum obtines, veluti

luti Regni sedes, veluti Metropolis Gentium, omniumque Princeps Provinciarum? quanta erit altitudo tua, & profunditas, quanta longitudo, & latitudo?

Quoniam superas Sanctitatem omnium, superas etiam perspicaciam in eo videndo, quo nihil sublimius videri potest. Et quoniam Divinus intuitus assimilat intuentem illi, quod cernitur, juxtà illud: Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est: quali similitudine referes pulchritudinem infinitam, quæ superas omnium oculorum aciem in videndo? Jam si profunditas est æqualis altitudini Sanctitatis, & quanta est altitudo, tanta est profunditas visionis, quam profundè scrutaberis profundissimã divinarum Perfectionum abyssum?

Denique si quanta est longitudo Æternitatis, tanta est immensitas Charitatis, quanta Charitate Sanctitas tua ferri dicenda est in Deum, & in omnia propter Deum adeoque in omnes Clientes tuos, & in omnes Provincias, & Regna? Si cuilibet Sanctitati debetur Æternitas, quanto potiori jure tuæ Sanctitati debetur, quæ Cęlituum omnium superas sanctitatem?

O' Civitatem Dei, quam lætificat impetus fluminis beatissimi! Te semper impetus iste lętificet. Utinam sicut audivimus, & audimus, & magna cum voluptate audimus decora tua; sic videamus in Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei nostri. Tunc pleno gaudio gaudebimus, quandò videbimus qua ratione ęqua-

lia fint altitudo, & profunditas tua, longitudo, & latitudo.

Sed antequam recedamus hinc, ubi non habemus patriam manentem, numquid gaudere de Te non poterimus?

Imò etiam nunc prò conditione vitæ præsentis multum gaudebimus, si præcipuè de sapientia, & humilitate tua, de constantia, & charitate, de abundantia tuæ sanctitatis, te largiente aliquid accipiamus.

MEDITATIO II.

De Humilitate, & Obedientia Divinæ Parentis.

1 Diuus Bernardus super Missus est. Homil. 1. Missus est Gabriel Angelus à Deo. Ad quem? Ad Virginem desponsatã Viro, cui nomen erat Joseph. Quę est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo: tam humilis, ut desponsata sit Fabro? Pulchra permixtio Virginitatis, & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa Anima, in qua, & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fęcunditas, & partus consecrat virginitatem?

Do-

Documentum primum ex eodem Doctore millifluo fit. Audis Virginem, audis humilem. Si non potes virginitatem, humilis: imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus Virginitas. Sed magis necessaria Humilitas. Illa consulitur. Ista præcipitur. Ad illam invitaris. Ad istam cogeris. De illa dicitur: qui potest capere capiat. De ista dicitur: Nisi quis efficiatur sicut paruulus iste, non intrabit in Regnum Cœlorum. Potest placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam. Sine humilitate autem audeo dicere, nec Virginitas MARIÆ placuisset.

Documentum secundum. MARIA, ut de Spiritu Sancto conciperet, sicut ipsa perhibet; Respexit humilitatem Ancillæ suæ Deus, potius quam Virginitatem. Etsi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Quid dicis Virgo superbe? Maria Virginem se oblita, gloriatur de humilitate. Et tu negligendo humilitatem blandiris tibi de virginitate? Respexit, ait illa, humilitatem Ancillæ suæ. Quę illa? Virgo utique sancta, Virgo sobria, Virgo devota. Numquid tu castior illa? Numquid devotior? Aut numquid tua fortè pudicitia gratior castitate Mariæ? Ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua; quando illa non potuit ex sua? Denique quanto honorabilior es ex singulari munere castimoniæ, tantò tibi majorem injuriam facis, qui ejus in te decorem fędas permixtione superbiæ. Alioquin

quin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas. Multò tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari. stude humilitatem imitari, & sufficit tibi.

Documentum tertium. Quod si & virgo, & humilis es, quisquis es, magnus es. Sed de hac ipsa magnitudine noli tibi placere, ne utrumque decus amittas.

2 Idem Sanctus Doctor Sermone de Beata Maria, cujus initium: Signum magnum. Legis in Actibus Apostolorum, quod redeuntes à Monte oliveti unanimiter perseverabant in oratione: qui? Si forte adfuit Maria, nominetur prima, quæ super omnes est, tam Filii prerogativa, quam suæ privilegio Sanctitatis. Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, & cæteri, qui sequuntur. Hi omnes perseverabant unanimiter cum mulieribus, & Maria Matre JESU. Itane & mulierum, se se ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc Discipuli, quibus nec dum Spiritus erat datus, quià IESUS nondum fuerat glorificatus: quoniam facta est inter illos contentio de Primatu: cum MARIA, quanto major erat, humiliaret se, non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est novissima prima, quæ cum prima esset, omnium se se novissimam faciebat: Meritò facta est omnium Domina, quæ se om-

omnium exhibebat Ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ, & infrà viduas, & Pœnitentes, infrà eam, de qua ejecta fuerant septem Dæmonia, ineffabili se mansuetudine inclinabat.

Ideò Sanctus Doctor subjungit primò. Obsecro vos Filioli æmulamini hanc virtutem; Si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus. Nihil enim tam idoneum Homini, nihil tam congruum Christiano, maximèque Monachum nihil adeò decet.

Subjungit secundò. Et quidem manifesta satis in Virgine, ex hac ipsa mansuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collactaneæ sunt, humilitas, & mansuetudo, in eo confęderatæ germanius, qui dicebat: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sicut enim Mater pręsumptionis elatio, sic mansuetudo vera, non nisi ex vera humilitate procedit.

Subjungit tertiò. Nec in sola tantùm Mariæ taciturnitate commendatur humilitas. Sed evidentius resonat in sermone. Audierat: quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei. Et nihil aliud, quam Ancillam ejus se esse respondit.

Subjungit quartò. Beata planè, quam respexit Deus. Et Beata, quæ credidit. Nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem; sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus, & in promissionis credulitate magnanimis, ut quæ nihil aliud, quam

quam exiguam se se reputabat Ancillam, ad inscrutabile tamen Sacramentum nullatenùs se dubitaret electam, & veram Dei, & Hominis Genitricem crederet mox futuram.

Agit hoc nimirum in cordibus Electorum Gratiæ prærogativa divinæ, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes.

3 Ecclesiaste 1. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.

Torrentes, & Flumina, pluvialibus aquis intumescunt, & ripis contineri non possunt. Mare nullis torrentibus, nullis fluminibus intumescens exuberat, neque limites sibi definitos egreditur. Mari similis est Maria, quæ licet omnium flumina gratiarum amplissimo sinu exceperit, nunquam tamen humilitatis eximiæ metas excessit.

Sed quale prodigiũ esset, si totus Oceanus universam aquarum molem in aliquem fluvium immitteret, & fluvius non intumesceret, non redundaret? Naturæ omnes conditæ, & præsertìm intellectu præditæ fluvii sunt immenso de Fonte manantes, & revertuntur ad locum undè exierunt, ut iterum fluant. Primus, & maximus omnium fluviorum Virgo est. In hunc totus influxit Oceanus, quandò VERBUM CARO factum est, & fluvius non intumuit, non redundavit, sed majori humilitate se depressit, & in imum alveum se recepit. Ideò Divus Ambros. in

Lu-

Lucam lib. 2. Vide, inquit, humilitatem: Ancillam se dicit, quæ Mater eligitur.

Noli quisquis ista consideras esse torrenti similis, quam exiguæ de Cęlo aquæ deciduæ tumidum faciunt, & exundantem. Vide quo prodigio totus Oceanus influat in Mariam; & fluvius non solum nativis aggeribus coercetur, sed magis deprimitur. Impletur Oceano, & in immensum crescit, sed quantum crescit, tantum exinanitur.

Quantum bona tua N. Peccator à Patre luminum accepta distent á bonis Virginis nosti. Quid ergo de te magnificè sentis? Cur de bonis non tuis occulta superbia gloriaris? Cur tacitè aliis te præponis? Numera, qui tibi esse humilis videris, quot sint, & qui sint, quibus te præferre non dubitas. Nondum didicisse de aliis semper benè, & altè senti re, magnum argumentum superbiæ est latentis in animo inani humilitatis specie decepto. Recole sæpiùs illa ex Thoma de Kemp. lib. 1. cap. 2. Si videres alium apertè peccare, vel aliqua gravia perpetrare, non deberes te tamen meliorem æstimare: quià nescis quãdiù possis in bono stare. Omnes fragiles sumus: sed tu neminem te ipso fragiliorem ſtenebis.

4 (De Obedientia B. Virginis.) Psal. 44. 12. Audi Filia, & vide; & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.

Si nomine Reginæ, & Sponsæ intelligatur

tur Beata Virgo Maria, ſicuti poteſt intelligi, illam David nomine Patris cœleſtis alloquitur, hortaturque, ut audiat, videat, & in omnibus obtemperet Sponſo; & ad hoc obliviſcatur populum ſuum, & domum Patris ſui: ſicut reipſa audivit, & audita conſideravit, & quicquid intellexit, aut conjecit executioni mandandum, mandavit: & oblita eſt populum ſuum, & domum Patris ſui, hoc eſt Mundum, qui populus eſt Generis humani, & domus eſt Adami de Paradiſo voluptatis ejecti. Eſt autem perfectiſſimè oblita Adamum, & Mundum, quià de peccato, moribuſque Adami nihil hauſit; & licet in Mundo fuerit, nihilominus de Mundo non fuit.

Et concupiſcet Rex decorem tuum. Cur? quià perfectè populum tuum oblita fuiſti, & domum Patris reliquiſti, ut nihil tibi eſſet impedimento ad obſequium, omnemque obedientiam Sponſo præſtandam.

Si hæc ità ſe habent, ſi juxtà modum obedientiæ Rex concupiſcit Sponſæ decorem, quid ſentiendum erit de illius obedientia, cujus decorem ſummus Rex præ omnibus concupiſcit?

Plaudite Reginę veſtræ noſtræque Spiritus immortales, & qui pulcherrimi eſtis, pulchritudinem; & qui potentes virtute facitis verbum illius, ad audiendā vocem ſermonem ejus, obedientiam prædicate. Si de laudandi munere agitur, nos tacebimus; Quià non eſt ſpecioſa laus in ore

pec-

peccatoris, neque decet homines incircumcisis cordibus, & auribus, laudare attentissimã ad audiendum, prudentissimam ad considerandum, promptissimam ad inclinandam aurem, populumque suum, & domum Patris sui oblivioni mandandum, studio parendi. Non tacebimus tamen, si de ope vestra imploranda sit sermo. Hac enim summoperè indigemus, & hanc prò vestra benignitate, miseris indulgere potestis.

Si omnes fidelium Animæ, licet peccatrices, ob fidem incorruptam dicuntur Virgines, & Sponsæ ad Sponsam Ecclesiam pertinentes; & singulæ si pœnitentiam egerint, & fatuæ esse desierint, Regi Christo adducendæ sunt post eam, hoc est post Virginem Matrem, totius Ecclesiæ Reginam, adeòque primò quidem Reginam Virginum omni labe corporis, animique carentium; deindè verò omnium omninò Pœnitentium; impetrate ut Animæ nostræ, cęterę que omnes, audiant, & videant, & inclinent aures suas, & ad promptè, alacriter, totisque viribus, & voluntatis, & intellectus obediendum, obliviscantur populum suum, & domum Patris sui.

5 Stabant juxta Crucem JESU Maria, Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria, Cleophe, & Maria Magdalenè. Joannis 19. 25.

Maria juxtà Crucem JESU inspiciebat, & faciebat secundum exemplar, quod illi mon-

monſtrabatur in Monte. Et quoniam inter virtutes ſingulas exemplaris, obedientia eminebat: nam qui humiliavit ſe uſque ad Crucem, factus eſt obediens uſque ad mortem: ideò inter cętera lineamenta virtutum perfectiſſimam in ſe tranſtulit imaginem obedientiæ. Pręſtantiam imaginis coniicere licet è ratione, ſive Hoſtiæ per obedientiam oblatæ, ſive doloris, quo ſacrificium conſummatum eſt: ſive fortitudinis, qua dolor animi ſacrificantis victus eſt.

Si conſideretur primum, quæ major oblatio? Alię Matres fama inclytæ prò cultu veri Numinis, liberos obtulerunt crudelitati, & cruciatibus Tyrannorum. Sed quid Paréti Partheniæ cum Felicitate, aut Symphoroſa, aut Machabęorum Matre? Singulæ Deo ſeptem liberos obtulerunt: Maria unum obtulit; ſed nõ ſolum ſeptuagies ſepties ſuperantem, ſed infinities filiorum omnium vitam, generis claritatem, celſitatem indolis, decorem ætatis, candorem morum, & ſi quæ ſunt alia corporis, & animi ornamenta.

Si conſideretur ſecundum, nempè doloris magnitudo, quem Parens obedientiſſima experta eſt, ut exactè voluntatem Patris impleret, recolantur verba Divi Bernardi Sermone de Lamentatione Virginis MARIÆ, ipſam in hæc verba alloquentis. Nunc ſoluis Virgo cum uſura, quod in partu non habuiſti à natura. Dolorem pariendo Filium non ſenſiſti, quem millies re-

replicatum Filio moriente passa fuisti. Ad hæc recolantur verba ipsius Virginis de obitu Filii sui loquentis libro quartò Revelationem D. Birgittæ cap. 40. Dolor Filii erat dolor meus, quià cor ejus erat cor meum.

Si denique ultimum attendatur, quid mirabilius illa fortitudine, qua Virgo Filium suum pro toto Mundo offerens Patri dolorem vicit? Non enim in tam atroci rerum articulo deliquium passa est, ut aliqui arbitrantur, sed ut habetur lib. primo Revelationum S. Mechthildis cap. 56. Omni creatura in morte Filii dolente, ipsa sola; cum Divinitate immobilis, & gaudens, Filium suum prò Mundi salute, voluit immolari. Et D. Ambrosius Sermone de Instructione Virgin. cap. 7. Stabat antè Crucem Mater, & fugientibus viris stabat intredida.

Cur intrepida? quià corpus ægrum sustentabat animus, & infirmitatem voluntatis inferioris, virtus superioris portabat, non solùm volentis, quod volebat voluntas Patris, sed de tali voluntate, gaudio deiformi gaudentis.

O'Robur! O' Gaudium voluntatis divinæ voluntati secundum omnia consentientis! quicumque Mariam diligitis, & ista legitis, eligite quid ex omnibus hisce imitari possitis.

6 Melior est obedientia, quam victimæ. 1. Regum 15. 22. Per victimas enim, ut inquit Diuus Gregorius, aliena caro, per

per obedientiam voluntas propria mactatur.

At si loquamur de obedientia Virginis Matris Filium suum tanta cum animi subjectione Æterno Patri offerentis, numquid affirmari potest obedientiam esse victimâ meliorem? Si enim sermo sit de Victima, est infinitæ æstimabilitatis. Si de immolatione Victimæ, per hanc immolatur, & propria voluntas, & caro aliena. Quæ autem caro? Illa nimirum, quæ victimam omnem complectitur, & sacrificiorum omnium implet figuras, & voluntatem mactantem, & mactatam, facit sacrificium Deo summe acceptabile.

Quid comparationis habet hæc Obedientia cum illa, qua voluit Abrahamus Filium, sicut illi præceptum fuerat immolare? Qua enim se propinquitate contingunt Filius Abrahami, & Filius Dei? Deindè Abrahamo antequam feriret, dictum est: Ne extendas manum in puerum, & non facias illi quicquam. At virgo sacrificium initum consummavit, & si jussa fuisset, etiam propriis manibus consummasset: & immobilis vidit Filium toto corpore lacerum, oblitum sui, sed non Peccatorum, adeoque prò illis cum clamore valido, & lacrymis, perorantem ad Patrem, caput inclinantem, & expirantem.

O' Prodigium fortitudinis, & obedientiæ! Vide robur obedientiæ tuæ Virgo fortissima, & obedientissima, & miserere surditatis nostræ in jussionibus audiendis,

miserere desidiæ in illis considerandis, cæcitatis in discernendis, tarditatis in exequendis: miserere timiditatis in difficilibus admittendis, atque duritiæ in reiiciendis.

Absit à nobis per Te inobedientia omnis. Absit omnis vel culpa levissima in illa exercenda virtute, quæ ità cordi est omnibus Electis, Tibi, Filio, Patrique tuo, cui te cum Filio tuo tanta cum animi contentione, & obedientia immolasti.

MEDITATIO III.

De Charitate Domini Nascentis relucente in Charitate Matris ipsum Parientis.

1 LUcę 2. 6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit Filium suum Primogenitum.

Divina Parens peperit Filium suum, non sibi soli, sed sibi simul, & Mundo. Ideò tantoperè partu suo gavisa est. Si enim, ut Ioannis 16. 21. dicitur: Mulier cum parit tristitiam habet, quià venit hora ejus: cum autem pepererit Puerũ, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quià natus est homo in Mundum: quo gaudio affectam fuisse putabimus, quæ non solum caruit partus doloribus, & quod majus est, car-

caruit jactura virgineæ integritatis, sed vidit illum hominem in Mundum venisse, per quem omnis homo, divina gratia donatus, de Mundo evehendus erat in Cęlum?

Filium Dei genuisse summa dignitas Matris est, summa felicitas. Sed quia charitas nullis finibus contineri potest, bonum quo Parens optima abundavit, in alios derivare contendit, & Orbem terrarum sanctitate, & Cęlum implere lętitia lætata est.

E' charitate Virginis parientis, collige Anima mea charitatem Pueri orientis. Si enim illa, non sibi soli parit, sed Mundo; quanto magis non sibi soli oritur, sed Mũdo, qui venit in Mundum, ut esset lux Mundi, & Principem tenebrarum exterminaret è Mundo, totamque Mundi faciem, peccati vetustate sublata renovaret?

Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Natus est nobis, ut esset apud nos, & habitaret in nobis; nos verò novitatem vitæ sortiti per lavacrum regenerationis illi viveremus, jam non ipsi; verum ipse in nobis viveret, & nos viveremus in ipso. Datus est nobis, ut sicuti ipse non secundum partem, sed secundùm totum datus est, ità nos disceremus dare totum prò toto. Et quodnam est illud totum, quod à nobis optat accipere, prò toto, quod ipse est? Numquid totus Mundus? Verùm nostra non quærit, sed nos. Quando ergo dicit: da totum prò toto: numquid postulat totum corpus, totam animam, quibus constamus? & nihil aliud

postulat? & ad hoc venit in mundum, ut se totum hisce totis inanibus permutaret? Hoc sanè dicendum, nec aliud dici potest, & mirabile; & ineffabile planè est, sed ità dicendum, & ità est.

Domine IESU, qui diligis nos, nihil habentes undè diligamur; Fac nos diligere te habentem omnia undè diligaris. Et fac nos diligere omnia propter Te, qui habes omnia, undè propter Te omnia diligantur.

Domine IESU, qui veniens in hunc Mundum unicuique dixisti; & jam sedens ad dexteram Patris adhuc dicis. Da totum pro toto; da ut verba oris tui intelligam, penitusque perspiciam: Da ut exequar. Da ut omnibus diebus vitæ meæ amarè lugeam, quià offerenti totum immensæ magnitudinis, immensi ponderis, immensi decoris, & pretii detrectavi post tot annos dare totū, quod nihil aliud est, quam pulvis, & cinis, & nihil, & peccatum. Et hoc totum magis amavi, quam illud, quod infinita sanctitas est, & omnia est.

2 Si Virgo, quæ præ cęteris de plenitudine illius charitatis accepit, qua Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; tanta voluptate perfusa est, quia peperit Paruulum, qui natus est nobis, & Filium, qui datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, & vocandus erat Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sęculi, Princeps pacis. Isaiæ 9. 6. Quanta voluptate Paruulum

ipsum

ipſum perfuſum fuiſſe neceſſe eſt. Ipſe nimirum erat, qui volebat dari nobis; Ipſe, qui nobis naſci volebat: Ipſe nobis totum Imperium ſuis fulcire humeris, non indigens Conſiliariis ad deliberandum, aut excubitoribus ad præcavendas inſidias, aut exercitibus ad bellandum. Tantulus Infans, tantuſque Rex, non dedignatur eſſe Rex hominum ignobilium, pauperom, inſipientium. Et ideò naſcitur, ut nobis ſit admirabilis, nobis magni Conſilii Angelus, nobis Fortis, nobis Pater futuri ſæculi, nobis Princeps pacis. Uno verbo naſcitur, ut ſit noſter Deus, juxtà illud Apocalypſ. 2. 3. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus. Et ipſi Populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis, erit eorum Deus.

Tu ergo Puer amabilis eris noſter Deus, & vis eſſe noſter: & Homo naſceris, ut ſis noſter Deus; Nos autem immemores noſtri, & immemores Tui, non deſiderabimus eſſe, & non erimus Populus tuus?

Si naſceris, ut nobis ſis Admirabilis, quid aliud extrà Te, mirari nos decet? Numquid aliud extra Te occurret nobis, quod noſtras ſibi vindicet mentes, dignaq; admiratione detineat? Si Tu magni conſilii Angelus, nobis naſceris, ut conſiliarii munere fungaris apud nos; quem alium in conſilium adhibebimus, quoties in ancipiti verſabimur, & quid conſilii capiendum ſit ignorabimus? Si Tu Protector fortiſſime venis ad nos, ut ſcuto veritatis tuæ nos protegas in adverſis, quid timebimus? Si

Te nobis in Patrem exhibes futuri ſeculi, qua de cauſa præſentibus inhærebimus? Et cur vocabimus nobis Patrem ſuper terrâ? Pater noſter in Cœlis eſt, de Cœlo eſt, Pater futuri ſeculi eſt.

Denique ſi Princeps pacis futurus venis, & nobis venis, cur ſub Principe pacis, bellis inteſtinis exercebimur, tumultuantibus cupiditatibus adverſus rationem, & ratione adverſus Regem pacis iride coronatum? Te auſpice, Te duce, ante pacem perfe-ctam felicitatis æternæ, volumus inter tot ſeditiones, & bella vitæ præſentis, illa pace frui, quæ naſcente pacis Principe prenunciata eſt; & promiſſa de Cœlo hominibus bonæ voluntatis.

3 Filium ſuum Primogenitum parit celeſtis Puerpera, dum medium ſilentium tenerent omnia, gaudetque illo ſilentio, ut & ipſa, & nos cum ipſa voces Verbi tacentis facilius, & clarius audiremus. Parit in propria venientem, ſuis eum non recipientibus, ut nos reciperemus, Parit in antro, parit non invenientem locum in diverſorio, ut ille ad nos diverteret, eſſetque domus illius Anima noſtra.

Atque hi quidem erant affectus Virginis ſuum edentis Infantem. Quinam verò erant ipſius affectus Infantis? Omnibus medium ſilentium tenentibus, & nocte in ſuo curſu medium iter habente, venit in mundum ut homines univerſos, alta ignorantiæ nocte, altoque peccatorum ſomno ſopitos excitaret non Celi tonitruis, ſed con-

concentu; non voce, aquarum multarum, sed voce lacrymarum ex oculis placidissimè decidentium; non irarum fulminibus, sed potentissimi telis amoris, ut quos voce tonante non moverat, vagitibus commoveret, & quos non traxerat in admirationem voce, qua loquens Mundum fecit: ad se traheret, & ad amandum excitaret silentio, quo silens Mundum refecit.

In propria venit, & sui eum non receperunt, ut exclusus à suis, reciperetur ab alienis. & cui non fuerat locus in diversorio, domicilium esset in toto Mundo. Nascitur Homo inter homines, ut credentes in nomine suo, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascantur, & sic Filii Dei, & Fratres sui nominentur, & sint.

Denique in spelunca paritur, ut peccatores de speluncis latronum, de cubilibus ferarum vertat in Templa suæ Divinitatis, vertat in sedes sapientiæ, & in illas domos, quæ ut innuit D. Petrus Ep. 1. Cap. 2. Lapidi vivo, ab hominibus quidem reprobato, à Deo autem electo, & honorificato, ex vivis lapidibus superedificantur.

Evigila Anima mea de somno tuo, & sequere Dominum ad solitudinem te vocantem, & media nocte ducentem, & loquentem silentio suo ad cor tuum. Nam quæ solitudo beatior, quam solum esse, ubi solus est IESUS, cum Matre sua, & Sponso Matris suæ?

Libenter excipe venire cupientem ad

Te. Noli dicere: Non est locus in diversorio. Ad ingressum enim illius, qui est sibi mundus, & locus, & omnia, dilatabitur cor tuum, & exclusis omnibus, quę nihili ducenda sunt, & nihil sunt, capax immensi Hospitis efficieris.

Postula à Domino Deo tuo, ut qui simul est fundamentum atque fastigium totius Ecclesiæ: itá non dedignetur esse lapis angularis, cui domus tua spiritualis superextruatur, idemque lapis, qui in editissima parte collocatus ędificium consummet, fundamentum videlicet portans infirmitatem tuam, & fastigium regimini tuo pręeminens.

4 Pannis Mater eum involuit, ut illius nuditas pannis pauperibus involuta, nostram tegeret nuditatem. Et quidem ad hoc ille venerat. Ad hoc pannis vilibus indigebat, ut nos stola immortalitatis indueret. Sed hoc parum est. Nostram mortalitatem indutus, lineis etiam, laneisque circumdatur indumentis, ut nos induat se ipso. Qui ab initio mundi regnaverat, & in magnificentia, & splendore suorum operum, decorem indutus fuerat, in antro Bethlemio nascens, & perditum, destructumque opus instaurans, prò Cęlo speluncam eligit in domicilium, prò opulentia paupertatem, prò decore induit nuditatem, ut nos Regem nostrum intuentes tali veste decoris ornatum, illum similitudine morum, atque virtutum induamus.

Si Dominum induerimus, quas vestes ulte-

ulterius, requirere opus erit? Per nuditatem, pauperesq; pannos Filii tui, indue nos hac veste, Domina Cœli, ac Terræ. Te intercedente Rex noster, nostras indutus exuuias, induat nos illa veste, quæ Ipse est.

Sic omni tempore erunt vestimenta nostra candida, ut nobis præcipitur Ecclesiaste 9. 8. & oleum sanctitatis, atque lætitię de nostro capite non deficiet.

Sic in die novissimo non apparebit confusio nuditatis nostrę, quia vestimentis albis induti, similes erimus Beatis Spiritibus, quos D. Ioannes vidit Apocalypf, 15, 6. Vestitos lino mundo, & candido, & pręcinctos circa pectora zonis aureis.

5 Pannis involutum fascijs circumplectitur'. Cur? ut ligatis manibus, pedibusque illum facilius, & securius teneamus, & nullatenus dimittamus. Ergo morem geramus Genitrici Dei, & nostræ. Si cum Anima sancta Cantic. 3. 1. quæsivimus, quem diligebamus; si circuivimus civitatem, & per vicos, & plateas quæsivimus, & non invenimus: si vocavimus, & non respondit nobis, jam dicat, unusquisq; nostrum, tenui eum, nec dimittam. Dimittamus omnia, dimittamus nos, ut IESUM pannis involutum, fascijsq; constrictum, teneamus. Teneamus, & non dimittamus omnibus diebus vitæ nostræ. Venit enim, ut teneretur. Ideò se offert magis vinculis Charitatis, quam fascijs colligatum, ut non solum Iustus, sed etiam Peccator pęnitens plenus fiduciæ dicat: Tenui eum, nec dimittam.

Nascente siquidem Domino deletur iniquitas terræ; & misericordia, & veritas occurrunt tibi, & justitia, & pax se invicem osculantur, & peccata dimittuntur, ut Verbum Infans teneatur, nec dimittatur.

Et quoniam Verbum Patris tenere, & immobiliter possidere bonum est super omne votum, & super omne bonum, quid agemus ò Bone IESU, ut teneamus te, & nexu non solubili teneamus?

Dimittemus primò ex toto corde Fratribus nostris, quicquid peccaverint adversum nos.

Dimittemus secundò: mortuos sepelire mortuos, ut omnium à cursu virtutis retardantium, sivè cognatorum, sivè amicorum amore semoto, sequamur quocumq; vocas, qui de morte vocas omnes ad vitam nunquam interituram.

Dimittemus tertiò, quantum licet, etiam amorem vitæ beatæ. Modò enim potiamur gratia tua, & amore tuo, quibuscumque premamur ęrumnis, non erimus infelices. Tecum enim esse, neque dimitti à te; neque dimittere te summa, & plena felicitas est.

6 Reclinavit eum in præsepio. Quia enim Filius venerat ignem mittere in terras, & volebat illicò, & vehementer accendi, idcircò reclinatur in palea, ut esset in promptu nutrimentum ignis, quo totus terrarum orbis erat conflagraturus, juxtà prædictionem Isaiæ cap. 64. 1. utinam dirumperes cœlos, & descenderes: à facie tua mon-

montes defluerent, ficut exuftio ignis tabefcerent aquæ arderent igni.

Ab ipfo Domini nafcentis exordio, fumpfit exordium, illud orbis Incendium, quo potentium, & fuperborum montes à facie Domini defluxerunt, & in cineres Pœnitentiæ refoluti funt, & ipfæ cordium aquę frigidiffimę, non folum, ardente univerfo concepere fervorem, fed flammam.

O' Incendium fortunatiffimum! O' beatiffimæ ftipulæ, quæ non exiguam opem fufcitando Incendio contuliftis! Quis enim amorem Collium æternorum videns jacentem in palea, non concipiat flãmas amoris?

Quid fi tanti fpectator prodigij non folum jacentem attenderet, fed rigentem, fed indigentem halitu Bovis poffefforem fuum, & Iumenti cognofcentis Prẹfepe Domini fui? Non ne flammę è paleis erumpentes illo frigore augerentur quo amabilis Author incendij obrigeret?

Quid adhuc riges N. peccator omni gelu frigidior? Tu Parentem reclinantem, tu Puerum in præfepio reclinatum videre potes, & adhuc fine ullo commiferationis fenfu torpere? Tu paleas videre potes ad primum Ignis nutrimentum electas; Tu mundi videre potes incendium, quod cum Parente fua, ità vehementer defideravit Parvulus in lucem editus, ut incenderet omnia: Tu hæc videre potes, & non ardere, ardente mundo, ardentibus montibus à facie ignis, & in cineres defluentibus; imò ipfis aquis non folum effervefcentibus, fed

in

in olei morem ardentibus?

Vide nè tu quoque inter illos numereris, de quibus loquitur Isaias cap. 1. 2. dicens Audite Cęli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit: & populus meus non intellexit. Veh genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, Filijs sceleratis.

MEDITATIO IV.

De Domino instituente Divinissimum Sacramentum sub specie Panis.

1 PRou. 9. 4. Si quis est paruulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est. Venite, comedite panem meum.

Cur Sapientia Patris vocat se ipsam panem suum? exhibensque se nobis sub specie panis, dicit: Venite, comedite panem meum?

Ratio prima est, quià sicuti nullum conviuium, nulla fercula sapiunt sine pane; ità nulla veritas, qua pascitur intellectus, nulla bonitas, qua voluntatis appetitus expletur, sapit sine sapientia, quæ Deus est. Dicant Peccatores, numquid ad mensam dæmoniorum sedentes unquam satientur,

& ferculis, quæ apponuntur plenè delectentur? Imò, qui hujus vitæ bonis licitis fruuntur, sed cognitionibus, quamtumvis excellentibus scientiarum humanarum, nullam cognitionem primæ Veritatis admiscent; neque voluptati, è bonis indifferentibus orienti, ullum amorem, aut gaudium de summo Bono associant, numquid his dapibus esuriem pellunt sine pane, hoc est sine ulla cognititione, & amore summi Veri, summique Boni?

Ideò David dicebat psalm. 101. 5. Aruit cor meum, quià oblitus sum comedere panem meum, panem videlicet Veritatis Cęlestis, ut explicat Bellarminus, qui propriè panis noster est, non communis cum bestijs. Nam cibus corporalis non est propriè panis noster. Verissima sententia, & abijs qui prosperitate fruuntur assiduè conside randa. Nisi enim, qui in prosperitate sunt, sub umbra alarum Dei commorentur, vel imbre divinæ Gratię perfundantur, fieri non potest quin ut fęnum percutiantur, & Cor eorum nauseans ad cœlestem Panem non penitus exarescat. Ita Bellarminus in psalm. citatum.

Ratio secunda est. Sicuti cibus omnis desipit sine pane: ità panis est cibi cuiuslibet condimentum. Eadem planè ratione, sicuti sine Bono infinito omnia desipiunt, ità Bonum infinitum additum bono finito, reddit possessionem boni finiti valdè jucundam possessori suo, illud honestè possidere nolenti sine Bono infinito. Quare con-

dimentum omnis boni finiti licitè possessi, est Bonum incommutabile, & infinitum. Ideò nemo jucundius fruitur valetudine, viribus, juventute, divitijs, dignitatibus, quam Iustus.

Ratio tertia est, quià omne qnidem ferculum desipit sine pane, sed non ità sine quolibet ferculo desipit panis. Solus enim sapidus est, præcipuè esurienti. Sic Deus solus sine ullo bono finito, sine divitijs, sine honoribus, sine florente fortuna, sine Amicis, satis superque est esurienti Iustitiam, cum sit Panis continens omnium ciborum saporem, & suavitatem.

Hac de causa nominat se Panem suum Sapientia Dei: & volens Cibo nos non solum Spirituali, sed Sacramentali, & modo Hominibus proportionato nutrire: sub specie panis se nobis exhibet.

2 Cum Sapientiæ panis sit hujusmodi, mirum est ab innumeris Adami Filijs posthaberi tot feruclis non solum bonorum finitorum, sed illicitorum. Quot enim paternam domum deserentes more Adolescentioris Filij, de quo Lucæ 15. 15. peregrè proficiscuntur in regionem longinquam, & ibi dissipant substantiam suam vivendo luxuriosè? Consumptis omnibus, incipiunt egere, & necessitate compulsi adhærent alicui civium miserabilis regionis, quo mittuntur in villam, ut pascant porcos.

Sed quod mirabilius est, quis ex tot amentibus cum adolescente Prodigo in

se

se reversus gemit, ac dicit: quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Quis ex tot præ fame cupientibus implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducant, expergiscitur, lacrymansque dicit: Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in Cœlum, & coram Te, jam non sum dignus vocari filius tuus?

Paterna domus abundat mercenarijs, Deo videlicet seruientibus amore mercedis, & hi mercenarij abundant panibus sanctis, abundant panibus propositionis, qui nimirum proponuntur Deo ad ipsum propitiandum, & Hominibus ad illos pascendos, & sanctificandos; abundant panibus, de quibus Deus per Isaiam 55. 2. quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine Anima vestra. Hi tamen, quis credat? amant implere ventrem de siliquis Gregis immundi, & volunt potius fame perire, quam vivere de vita illius Panis, de quo Vita dixit: qui manducat hunc Panem, vivet in æternum. Quæ major insania, quam siliquas mortem afferentes Pani vivo præferre, & velle potius, pręsenti simul, & perpetuò duratura fame perire, quam pasci Cibo omnem esuriem depellente, & in perpetuas ęternitates depulsuro?

Rogemus Dominum primò prò Fratribus nostris, ut ad cor redeant, & resipiscant.

Rogemus secundò . ut nihil magis oderimus , quam regionem longinquam , in qua sine Deo vivitur : & Cives tristissimæ regionis , qui famulos suos in villas amandant pascendis porcis operam navaturos, & ventrem implere siliquis desideraturos .

Rogemus tertiò , ut nihil nobis gratius sit , quam Pater, & Paterna domus ; & mensa abundans panibus etiam prò mercenarijs. Licet autem vnusquisque nostrum dicere possit , ac debeat ; Pater peccaui in Cœlum, & coram te , jam non sum dignus vocari Filius tuus ; Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis : totis tamen viribus enitamur, vt filij simus , non mercenarij. Licet enim Panis magni Patris familias etiam mercenarijs apponatur , propriè tamen , & potissimum est Panis Filiorum Patri obedientium , quia Pater est , non quià Retributor.

3 August. in Psalm. 90. Fortes estote Fratres , & quandò aliqua inopia tentamini, Deo flagellante , & erudiente vos, quibus, & parat, & servat æternam hæreditatem , non vobis suggerat diabolus : Si Iustus esses , nonnè tibi per corvum mitteret panem, quomodò misit Eliæ ? Ubi est quod legisti: Numquam vidi Iustum derelictum, & semen ejus quærens panem ? Tu responde diabolo : Verum dicit Scriptura : Numquam vidi Iustum derelictum, nec semen ejus quærens panem . Habeo enim panem meum , quem tu non nosti . Quem panem ?

Audi

Audi Dominũ. Non in ſolo pane vivit homo; Sed in omni verbo Dei. Putaſne Verbum Dei non ſit panis? Si non eſſet panis, non diceret Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia; Ego ſum Panis vivus, qui de Cœlo deſcendi. Hæc Aug.

Veritates iſtas altè animo imprimamus, ſemperque:

Meminerimus primò: Veriſſimum eſſe dictum Prophætæ: Numquam vidi Iuſtum derelictum, & ſemen ejus quærens panem. Licet enim Iuſtus ad ſummam inopiam redactus mendicare cogatur, nunquam tamen caret pane, de quo loquitur Dominus dicens: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Meminerimus ſecundò, Omnia verba procedentia de ore Dei eſſe noſtrum panem; omnia enim, & ſingula ſunt doctrina cœleſtis continens illas veritates per modum cibi nos reficientes, & confortantes. Ideò cor noſtrum exareſcit. ac deficit, quoties verba ex ore Dei procedentia negligentes, noſtrum panem comedere obliviſcimur.

Meminerimus tertio; quod ſi verba Scripturarum, & Patrum, dulciora ſunt, ſuper mel, & favum, quia verba ſunt ex ore Dei procedentia, quam erit dulce Verbum illud, quod à diebus Æternitatis ex ore Dei procedit, & per quod Pater infinitè eloquens dicit ſe ipſum, & omnia, & dicendo condit omnia, & condita conſervat, & lu-

cis

cis expertia illuminat, & alit indigentia alimento; Angelis verò, & Hominibus longè diverso modo alimenta suppeditat? Non enim Angelos, & Homines per solam Verbi doctrinam pascit, sed per ipsum Verbum de Pane vivo Angelorum, factum Panem Hominum omne delectamentum habentem?

Quis Boni, quis Beneficij magnitiitudinem percipere possit? Timeamus, & esuriamus, ut nobis quoque porpitius sit, qui dat escam timentibus, & esurientibus; & nihil aliud esuriamus, psalm. 110. 5. 141. 7.

4 Sed quoniam parvulis lacte opus est, non solido cibo: Perfectorum enim est solidus cibus, ut innuit Apostolus ad Hæb. 5. 12. Quid consilij cępit Divina Sapientia, ut humanæ infirmitati consuleret? Cuncti Homines parvuli eramus, & lacte indigebamus; non solido cibo, qui Angelorum erat, tamquam perfectorum, ideò, ut August. docet in psalm. 130. Dominus noster IESUS Christus panis, se fecit nobis lac, Incarnatus, & apparens mortalis, ut in eo finiretur mors, & non aberraremus à Verbo, credentes in Carnem quod factum est Verbum. Hinc crescamus, ipso lacte nutriamur: antequam validi simus ad capiendum Verbum, non recedamus à Fide lactis nostri. Sunt quidam homines, qui cum audierint, quia humiles esse debent, dimittunt se, nihil volunt discere, putantes, quià si aliquid didicerint, superbient; & remanent in solo lacte: quos reprehen-

dit

dit Scriptura dicens: ad Hæb. 5. Et facti estis opus habentes lacte, non solido cibo. Sic enim nos Deus vult nutriri lacte, ut non ibi remaneamus, sed crescendo per lac ad solidum cibum perveniamus: Ergo non debet homo extollere cor suum in superbiam sed debet elevare in Doctrinam Verbi Dei. Non ergo sic tibi dicitur: Humilis esto ut non sapias: Humilis esto propter Superbiam: Altus esto propter Sapientiam. Lactare, ut nutriaris, sic nutrire ut crescas, sic cresce, ut panem manduces.

Idem August. in psalm. 30. 4. Dux mihi eris nè aberrem a Te: & enutries me, ut validus sim ad manducandam escam, qua pascis Angelos. Hic enim lacte nos nutrivit, qui nobis cœlestem cibum promisit, & usus est materna misericordia. Sicut enim Mater lactans eamdem escam, cui sumendæ idoneus Infans non est, per carnem traijcit, & lac infundit: hoc enim accipit parvulus, quod accepturus erat ad mensam; sed quod per carnem traijcitur congruit Parvulo: Sic Dominus Sapientiam suam, ut lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos.

Idem de Verbis Domini in Euang. secundum Ioannem serm. 39. Non nè esca erat in mensa? sed invalidus est Infans ad comedendam escam, quæ in mensa est. Quid facit Mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit nobis, quod capere possumus. Sic Verbum Caro factum est, ut lacte Parvuli nutriremur, qui ad

Ci-

cibum quidem eramus Infantes. Verum hoc interest, quià quando cibum Mater incarnatum lac facit, cibus in lac convertitur. Incomutabiliter autem manens Verbum Carnem assumpsit, ut esset quodamodo contextum. Ex his;

Colligamus I. Divitias Bonitatis Divinæ. Ut enim homines Panem Angelorum manducare possent, fecit Verbum Lac rationabile, quod Homines per Lavacrum regenerationis ex Deo nati, tamquam modò geniti Infantes concupiscerent; ut Fideles omnes Princeps Apostolorum hortatur. Ep. prima cap. 2. 2.

Colligamus II. Ad cœlestem Cibum, sive meditatione, sive Sacramentali manducatione degustandum, nos parvulos esse debere non ratione insipientiæ, aut levitatis puerilis, sed Humilitatis, & Innocentię, juxtà illud prima Corinth. 14. 20. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli esttote. Sensibus autem perfecti estote.

Colligamus III. Non esse nobis sistendum in lacte, sed à lacte procedendum ad panem, à nutrimento Infantium ad cibum solidum Perfectorum, ab Humanitate assumpta ad Verbum. Ideo D. Aug. in psal. 130. Cum dixisset Deum velle nos humiles, & altos: Humiles propter cavendam superbiam, altos propter capiendam Sapientiam: concludit: Lactare, ut nutriaris. Sic nutrire, ut crescas. Sic cresce, ut panem manduces. Cum enim cęperis Panem manducu-

ducare; ablactaberis, ideſt, jam tibi non erit opus lacte, ſed ſolido cibo.

5 Pſalm. 134. v. 3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus, pſallite Nomini ejus, quoniam ſuave S. Aug. Legit: Laudate Dominum, quoniam bonus eſt. Pſallite Nomini ejus, quoniam ſuavis eſt.

Non diſcrepant reipſa verſiones, quià ideò ſuave eſt pſallere Nomini Domini, quià Dominus ſuavis eſt. Hæc autem habet in rem noſtram textum explicans Sanctus Doctor.

Forte eſſet bonus, & ſuavis non eſſet, ſi tibi non daret poſſe guſtare. Talem autem ſe prębuit hominibus, ut etiam Panem de Cœlo miſerit,& Filium ſuum ęqualem, qui hoc eſt, quod Ipſe, dederit Hominem faciendum, & pro Hominibus occidendum; ut per hoc, quod tu es, guſtes, quod non es. Multum enim ad te erat guſtare ſuavitatem Dei; quià remota erat illa, & nimis alta; Tu autem nimis abiectus, & in imo jacens. In magna iſta ſeparatione miſſus eſt Mediator. Non poteras ad Deum homo; Deus factus eſt Homo, ut quoniam Homo potes ad Hominem, qui non poſſes ad Deum; per Hominem venires ad Deum. Si Homo ſolum eſſet, hoc ſequendo quod es, numquam pervenires. Si Deus ſolum eſſet, non comprehendendo quod non es, nunquam pervenires. Deus factus eſt Homo, ut Hominem ſequendo, quò potes, ad Deum pervenires, quod non poteras. Ipſe eſt Mediator. Indè factus eſt ſuavis. Quid enim

enim suavius Pane Angelorum? Quomodò ergo non est suavis Dominus, quandò Panem Angelorum manducavit Homo? Non enim aliundè vivit Homo aliundè vivit Angelus.

Ipsa est Veritas. Ipsa est Sapientia. Ipsa est Virtus Dei. Sed quomodò ea perfruuntur Angeli, tu non potes. Illi enim quomodò perfruuntur? Sicuti est. In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum per quod facta sunt omnia. Tu autem, quomodò contingis? quià Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Ut autem Panem Angelorum manducaret Homo, Creator Angelorum factus est Homo. Psallite ergo nomini ejus, quoniam suavis est. Si gustastis psallite. Si benè sapit, quod gustastis, laudate. Quis tam ingratus est, vel coquenti, vel pascenti; ut cùm fuerit pulmento aliquo delectatus, non reddat gratiam laudando, quod gustat? Hæc Aug.

Laudemus igitur Dominum primò, quià ut gustaremus quam suavis sit, misit nobis Panem de Cęlo dulciorem super mel, & favum.

Laudemus secundo, quià nos pares fecit Angelis, illorum nos faciens Mensæ participes.

Laudemus tertio, quià licet Angeli Pane divino pascantur, sicuti est: nos vero pascamur sub speciebus Eucharisticis: illo tamen pascimur, qui pascit Angelos, ut dum pascimur sub aliena specie, ad illum tandem

dem gustandum sicuti est, veniamus.

6 Sed quinam alij præter indicatos, sunt effectus, & fructus Panis, qui nobis de Cęlo descendit?

Fructus primus est, quem adumbravit panis subcinericius Eliæ ad umbram juniperi dormienti exhibitus. Sicut enim Propheta fugiens à facie Iezabelis ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus,& noctibus usque ad montem Dei Horeb: ut habetur 3. Regum 19. 8. ità Fidelis quilibet fugiens à facie Reginæ habentis poculum aureum in manu sua, & sedentis super Bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ, ut habetur Apocalyps. 17. ambulat in fortitudine Cibi Eucharistici, omnibus diebus vitæ suæ, usque ad montem Domus Domini in vertice montium. Isaiæ 2. 2.

Fructus secundus præsignificatus est prãdio, quod Angelo præcipiente detulit Habacuc Danieli in medio Leonum sedenti, ut describitur Danielis 14. 34. Sicut enim Daniel inter Leones jejunos, metu vacuus cibum sumpsit: ità nunc postquam Panis vivus de Cęlo descendit, non unus Daniel, sed innumeri cęlesti Cibo recreantur securi, inter Leones invisibiles, qui continuò circumeunt quærentes, quem devorent.

Fructus tertius. Illis verbis exprimitur: Manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum. Io: 6. 59.

Fructus quartus alijs omissis, est conver-

ſio manducantis in Panem, qui manducatur, juxta verba, quibus olim Dominus Auguſtinum allocutus eſt dicens: Cibus ſum grandium. Creſce manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.

Perpende ſingula, Anima mea. Sede ſolitaria, & tace, & leva te ſuper te, ut admiratione defixa, ſcruteris, quid ſibi velint illa: Nec tu me mutabis in te, ſed Tu mutaberis in Me.

Numquid per iſtam mutationem manducantis in Panem, qui manducatur, alluditur ad ſummam ſimilitudinem, quæ inter Convivam Chriſti, & Chriſtum intercedit? Ergo manducans Corpus Domini, debet ſimilis eſſe Domino ſecundum corpus immaculatum, planèq; rationi ſubiectum, ſecundùm viſum, ſecundum auditum, ſecundum ſenſus omnes. Ergò debet referre Dominum ſecundum animam, ſecundum intellectum, & voluntatem. Sed numquid, iniquies debet etiam referre Divinitatem Verbi? Si Panis noſter eſt non ſolum Corpus, ſed Anima, non ſolum Anima, ſed Verbi Divinitas, quid eſt dicendum? Dominus dicit: Nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me. Quicquid habet rationem Panis in Convivio ineffabili non convertitur in nos, ſed convertit nos in ſe ipſum. Cuinam magis convenit eſſe Panem, quam Verbo? Ergo etiam Verbo Patris, ſi dignè ad menſam accedimus, ſimiles eſſe debemus. Magna planè, & fidem omnem ſuperantia ſunt iſta, ſed vera ſunt.

Re-

Revertere iterum ad te Anima mea, & vide primò, quid in grati animi testificationem immensæ Beneficentiæ possis offerre.

Vide secundò. Quantum distes à Domino secundum omnia, quæ insunt tibi, & quę Illi. Video te ad comparationem istam illicò exanimari. Alta confusione confundere, sed noli spem omnem abijcere. Tibi propitius erit, qui dixit: Estote perfecti, sicut Pater vester Cœlestis perfectus est.

Vide tertio, ut quoniam crescente clara cognitione crescit similitudo videntis cum Deo clarè viso: crescat in te manducante per Fidem Panem vivum cognitio per speculum, & in ænigmate. Crescente siquidem lumine Fidei, & Sapentiæ, perfectiori similitudine mutaberis in dicentem: nec tu mutabis in te, sed tu mutaberis in Me.

MEDITATIO V.

De Christo Domino Spinis redimito.

1 Dictum est Adamo Genes. 3. 17. Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi.

Adamo de terra terreno, terra ſpinas, & tribulos germinavit, ſed quibus atrocius pungeretur Adamus de Cęlo Cęleſtis. Senſit miſeriarum ſuarum, peccatorum ſuorum aculeos terrenus Adam; ſenſernnt, & ſentiunt omnes Adæ Filii: Sed nemo diris cuſpidibus ſauciatus eſt acerbius, quam Adam innocentiſſimus. Unus enim omnium dolores expertus eſt: Unus omnia omnium mala ſuſtinuit: Unus amarius flevit miſcens oculorum lacrymas ſanguini ſpinoſo è capite defluenti.

Vide Anima mea quos flores, quos fructus terra noſtra protulerit Conditori ſuo: Spinas prò floribus, tribulos prò fructibus germinavit. Sed quid ſpinas capitis intuemur? Spinas longè horridiores conſideremus, quas terra naturæ humanæ, quas terra corporis, quas terra cordis noſtri pepererit Domino ſuo. Plantaverat vineam, & expectaverat ut faceret vuas, fecit autem ſpinas: ſpinas nimirum non ſolum caput auguſtum, ſed cor amantiſſimum cruentaturas.

Quis non iraſcatur terræ ſpinarum pro vuis germinatrici? Quis terram ejuſmodi non omni maledictione dignam exiſtimet? Quis non miretur charitatem, quis non doleat vicem illius, qui ut maledictæ benediceret terræ, ſpinas, quas illa peperit, geſtavit in capite, geſtavit in corde, nec geſtare deſtitit, donec de maledicta fieret benedicta.

Ergo terra cordis humani, terra ingra-

tiſ-

tiſſima, iraſcere duritiæ tuæ, totque dolorum aculeis compungere, quot ſpinarum cuſpidibus caput, & cor Domini ſauciaſti,

Ergo humiliare ſub potenti manu Dei, teque ſæpius dignam omni maledictione pronuncia.

Ergo conſidera, quid te pati deceat pro illo, qui tanta pertulit pro te: & quibus laudibus illi benedicere debeas, qui caput, & cor ſuum tuis ſpinis exhibuit vulnerandum, ut de te maledicta faceret benedictam: & de vinea ſpinas proferente, verteret in vineam vuis hinc inde pendentibus, ad coloni votum onerandam, dulcique muſto redundantia torcularia inebriaturam.

2 D. Bernardus Serm.71. in Cantic. Eſt lilium Sponſus, ſed non inter ſpinas; quoniam non habet ſpinas, qui peccatum non fecit. Sponſam proteſtatus eſt lilium inter ſpinas, quoniam ſi dixerit, vel ipſa, quia ſpinas non habeat, ſe ipſam ſeducit, & veritas in ea non eſt. Se verò florem quidem, & lilium profeſſus eſt, non tamen inter ſpinas. Ego inquit, flos campi, & lilium convallium; & non eſt ſpinarum mentio, quod ſolus ſit hominum, qui opus non habeat dicere: Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Ità D. Bernardus.

Sed quomodò, Bone IESU, Tu flos campi, Tu lilium convallium, ſed non inter ſpinas, qui tam horrido ſpinarum diademate redimiris? Non habet ſpinas, qui

peccatum non fecit, si Doctori sanctissimo de te loquenti credimus. Cur ergo spinea corona circumdaris, qui solus Hominum dicere non potes: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina?

Nimirum sicut Dominus noster Pater tuus, posuit in te iniquitates omnium nostrum, ità posuit in Te spinas nostras, posuit in te peccatorum nostrorum, dolorum nostrorum aculeos. Te spinis nostris circumdedit, ut non Te, sed Animas nostras lotas in sanguine tuo, tamquam lilia inter spinas circumdaret sepe spinarum, & ab illis arceret, sive belluarum, sive hominum incursiones.

Immortales agimus gratias, primò quia non opus habens dicere sicuti David, & Peccator quilibet: Conversus sum in ærumnis meis ad gravitatem peccatorum meorum considerandam, penitusque perspiciendam, dum conscientiæ spina configitur atrociter vulnerantis: voluisti tamen spinis, non solum sub sensum cadentibus, sed etiam non cadentibus vulnerari, ut nō Tu, sed nos aliquando tandem converteremur ad multitudinem, & magnitudinem delictorum nostrorum perpendendam, dum cordibus nostris acutissima spina configitur, quia neque de nostris delictis, neque dolemus de doloribus tuis.

Agimus secundò; Quoniam solitus pasci inter lilia, pasceris jam inter spinas, & saturatus opprobriis, vis etiam amore nostri cruciatibus satiari.

Agi-

Agimus tertiò, gratias immortales, & amori tuo, & candori. Candori, quia de candore tuo candidos facis etiam illos, quorum facies denigrata est super carbones. Amori, quia quos de candore innocentiæ tuæ lilia facis, spinis tuis obarmas adversus omne injuriarum genus, & simul edoces, quam securè inter spinas Amoris Crucifixi vernent lilia innocentiæ.

3 Lucę 8. 5. Exiit qui seminat seminare semen suum, & dum seminat aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres Cęli comederunt illud, & aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem, & aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

Semen hoc, ipso Verbo interprete, est verbum Dei. Sed numquid est verbum Dei Prophetarum, & Apostolorum ore prolatum: An est ipsum Verbum, quod ore Dei profertur à diebus æternitatis? Non solum primo, sed etiam secundo modo appositè potest intelligi, postquam Verbum Caro factum est.

Si hoc posteriori modo intelligatur non aliud cecidit secus viam, non aliud suprà petram, non aliud inter spinas: sed ipsissimum Verbum Caro factum cecidit secus viam, nostræ mortalitatis: non tamen licet fuerit ab hominibus conculcatum, volucres Cęli, hoc est nefarii spiritus comederunt illud: imò dum ab hominibus conculcaretus, ipsos nefarios spiritus, & ae-

rèas poteſtates diſiecit, contrivit, ad nihilum redegit. Ipſum cecidit ſuprà petrā, quæ dicitur Mons Calvariæ, ibique moriens natum eſt; neque natum illicò aruit, quià non haberet humorem; ſed in petra, ſed in terra lapidoſa altius egit radices, abundantem undique humorem ſufficientibus oculis in lacrymas reſolutis, vulneribus cruore ſcatentibus, & latere, aquā, & ſanguinem emittente.

Denique idem cecidit inter ſpinas illius Caput ambientes; ſed exortæ ſpinæ non ſuffocaverunt illud. Imò inter ſpinas, Ille, qui dicitur Frumentum Electorum gratius vernavit, quia quo tempore dicebatur: Non eſt ei ſpecies, neque decor, eò formoſior apparuit. Inter ſpinas crevit, quia ſpinarum ſuarum amatores fortius ad ſe traxit. Verbum inter ſpinas non amiſit dicendi leporem, ſed florentiori quodam genere dicendi Auditores ad ſe pellexit; Auditorum ſibi animos devinxit, ab Auditoribus, quicquid voluit, extorſit.

Numquid Anima mea tibi ſoli diſplicebit incultus, implexiſque ſpinis hirſutus Orator? Abſit, quærant alij florentem ſtylum, quærant amænitatem orationis, Tibi prę floribus omnibus cordi ſint hæ ſpinæ. E Verbo Dei diſce inter ſpinas ęrumnarum facundius loqui, quam inter flores etiam cęleſtium conſolationum.

Gaude inter ſpinas quidem Verbum Dei cecidiſſe, ſed minimè ſuffocatum; ſed nihil inde reportaſſe detrimenti, immò ulterio-

riorem fructum attulisse; ac disce curarum aculeis premi, sed non opprimi, oppugnari, sed non vinci, vulnerari, sed non succumbere vulneranti.

4 Geneseos 22, 13. Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quē assumens obtulit holocaustum prò Filio.

Quis erat ille Aries, quo immolato impletum est significativo sanguine sacrificium? Quis illo, (nempè Ariete) figurabatur, nisi JESUS Christus; antequam immolaretur, spinis judaicis coronatus? Ità interrogationi suæ respondet D. Aug. de Civitate Dei lib. 16. cap. 32.

Sed quomodò Aries implexis cornibus senticeto inhærens, ne fugeret, & ne se mactandum aræ subduceret, similitudinem gessit illius, qui tam libenter Animam suam posuit prò ovibus suis, & cui cibus unicus semper fuit, ut faceret voluntatem Patris sui?

Verum aliud est quod Christus Dominus libentissimè se se morti obtulerit: aliud est, quod se nulla necessitate compulsus obtulerit. Si Divinæ Justitiæ satisfaciendum erat, si mandatum Patris implendum, si modo perfectissimo, reparandus mundus, delendumque peccatum, erat omninò necessarium ità mori, & quoniam à peccatis potissimum per spinas repræsentatis oriebatur ista necessitas, ideò aries hærens inter vepres in hostiam eligitur figurativam Hostiæ, non coactæ quidem, sed

necessariæ : & quidem ineluctabili necessitate immolandæ propter peccatum.

Ergo Domine IESU, quoties intueor Caput tuum vepribus implexum, video spinas meorum peccatorum, te prementium, & adigentium ad mortem voluntariam utique, sed necessariam? Verùm cur necessariam? Plectantur qui peccaverunt, non qui peccatum non fecit. Qui spinas protulerunt, spinis propriis implicentur, & immortali morte damnati, gerant capita illis implexa vepribus, quos in serta perennia sibi contexuerunt. Videant semper peccata sua, sentiant aculeos peccatorum suorum, feriantur, cruententur peccatis suis, doleantque sine fructu inter æterna supplicia, se peccatores fuisse, & esse, & futuros esse, quamdiù erit æternitas. Qui tam perditè adversum se usi sunt libertate sibi concessa, isti necessitati subdantur. Quid ergò necesse est, arietem inter vepres hærentem, hoc est Dominum nostrum JESUM Christum spinis Judaicis coronatum interire? Unde est ista necessitas? Si non est à peccatis totius mundi, & meis, unde? Non aliundè procul dubio, quam ab amore Patris tui, & amore tuo.

O necessitatem! O Amorem! Et mihi liberum erit amare, & non amare hunc Amorem! Videnti Te, sicuti es liber amor non est, sed necessarius. Utinam etiam esset necessarius te cernenti non in splendoribus Sanctorum, non coronatum gloria, sed spinis in crudele diadema compactis.

Si

Si beata necessitate, quæ ad meliora compelleret frui non possumus, saltem amor noster, erga nostrum caput spineo coronamento circumdatum, fiat ità vehemens, fortis, in duris constans, & ad omnia pericula imperterritus, ut sit quodamodò necessarius.

5 Sed si, Augustino interprete, Aries hęrens cornibus inter vepres, est Christus Dominus spinis Judaicis coronatus, quis est Isaac, cui parcitur, & cujus loco Aries immolatur? Numquid idem sunt Isaac, & Aries? Sed Isaac quidem Filius Dei est in forma Dei, Aries verò in forma Servi? Ideo verò Isaaco mactâdo sufficitur Aries, quià sicuti Isaac mori non debebat, ità Filius Deus de Deo, mori non poterat: & sicut Aries occisus est, ità Filius Dei in forma servi aræ Crucis impositus immolatus est?

Quomodocumque ista se habeant, citrà ullam dubitationem est, Filium Dei in Homine assumpto ligna holocausti suis imposita humeris ad montis fastigium detulisse, & manibus non vinctis, sed crudeli ferro trajectis, Altari superextensum, & in Hostiam super omnes hostias vivam, sanctam placentem, fuisse in odorem suavitatis oblatam. Ergo qui pati non poterat, mori non poterat in se ipso, passus est, mortuus est in assumpta natura, passurus etiam, & moriturus in se ipso, ut nos viveremus, si potuisset. Ergo antequam moreretur, vepribus etiam, quibus inhæ-

ferat Aries, implexus est, cruciatus est; acerbissimè sauciatus est.

Quid retribuam Domino meo prò omnibus, quæ retribuit mihi. Si Caput tuum, Bone JESU, Deus est, numquid caput hoc spinis meis, peccatis meis circumdedi, & vulnerum incapax, & doloris, quantum est ex me, pupugi punctionibus acutissimis, dirissimis, amarissimis? Sapientia enim tua æterna vidisti me semper, & ego semper contristavi Te, & iniquitates meæ, veluti circa tempora Capitis Augustissimi, oberraverunt, & radiis inaccessę lucis, quibus coronaris, spinas suas inseruerunt, & si potuissent, atrociter pupugissent, uulnerassent, & dolore fontem beatitudinis affecissent.

Quasnam miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, à cęcitate, à vesania mea expetam pęnas? Capiti meo omnibus digno fulminibus, circumponam coronam è spinis peccatorum meorũ contextam, & ut spinæ validius infigantur, addam spinis beneficia tua perpetuò antè oculos posita, meisque continuò componenda peccatis. Cogitationum ejusmodi corona circumdatus, Recogitabo tibi omnes annos vitę meę, & erunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, donec de inimico Crucis amator Crucis effectus illam mihi vindicem, illam vertici meo coronam imponam, quà unicè delectantur amatores regis dolorum; & nemo accipiat coronam meam.

6 Ioan.

6 Joannis 19. 2. Milites plectentes coronam de spinis imposuerunt Capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant. Aue Rex Iudęorum, & dabant ei alapas.

Vestimentum regis dolorum purpureum est. Spinæ rubent sanguine. Facies alapis cęsa rubet pudore. Videat omnis Anima, quam verè sit Rex suus candidus, & rubicundus. Candidus, quia peccatum non fecit, & non est inventus dolus in ore ejus. Rubicundus, quia summè innocens, & summè sapiens, inter sceleratos, & fatuos reputatur. Rursum rubicundus charitatis ardore, suique baptismo sanguinis, quo semper ardentissimè baptizari desideravit. Videat omnis Anima, & erubescat, si nondum ardere didicit de tali charitatis ardore. Erubescat, si nondum sibi ruborem injectum sensit de suis delictis, pro quibus tanta verecundia, & confusione repleri voluit, non solum coram Hominibus omni probro affectus, sed coram Patre suo Personam sustinens omnium peccatorum.

Prima ad Corinth. 1. 22. Quod stultum est Dei sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei fortius est hominibus.

Non recusavit Omnipotens arundineũ præferre sceptrum in argumentum Regni fragilis, & inanis: Et sapiens infinitè, non rejecit à se purpuram illusoriam, non coronam, tamquam indices fatuitatis, atque stultitiæ. Sed sapientior est ista fatui-

tas,

tas, omni hominum sapientia; & omni fortitudine hostium visibilium, & invisibilium, fortior est nostri Ducis infirmitas.

Ergo primò quidem rejecta sapientia mundi, rejecta prudentia carnis, quæ inimica Deo est, & quam reprobavit Deus, adhærebo stultitiæ, per quam stulta facta est sapientia mundi: & per quam prudentum prudentia reprobata est. Ero prudentior, ero sapientior, si premens vestigia Regis, quem fatuum mundus habuit, ac declaravit, ego quoque inter fatuos numerabor.

Rursum sicuti insipientiæ ludibrio habiti; ità infirmitati Regis nostri, pedibus conculcantium attriti, volo unicè inhærere. Nam quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Nihil arundine fragilius, nihil inconstantius. Sed si quis innitatur arundini, quam prè manibus habet Omnipotens, erit fortior omnibus hominibus, ipsisque inferi Patris; & pati gaudens cum Christo, & invadentibus non resistens, & percutientibus unam genarum, alteram exhibens, omnia poterit in illo, qui nos confortat infirmitate sua.

Altè in cor meum, Domine IESU, ista verba descendant: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, animoque meo persuadeant suasione fortissima, me nunquam sapientiorem fore, quam, cum juxtà doctrinam Apostoli, ero insipiens;

piens; & nunquam fortiorem, quam cum ero maximè infirmus.

MEDITATIO VI.

De Pedibus Domini uulneratis in Sepulchro jacentis.

1 SI lustraremus loca, vel ubi Dominus stetit verba facturus ad turbas, quæ Lucæ 6. 17. confluxerant ab omni Iudęa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, ut audirent eum: Vel ubi stetit: Matthæi 20. 30. ad duos cęcos illuminandos, dum clamarent; Domine, miserere nostri Fili David: vel ubi lacrymans stetit ad sepulchrū Lazari. Io: 11. 41. Amicum suscitaturus à mortuis: si hæc, inquam, & similia loca lustraremus, possemus dicere: Procumbamus, & adoremus. Nam adorabimus in loco, sive adorabimus locum, ubi steterunt pedes ejus. Psalm. 131. 7.

At sepulchrum introeuntes, & ad pedes Domini procidentes, numquid adorabimus locum ubi steterunt? an ubi jacuerunt, & jacent, & miserandum in modum confossi jacent pedes ejus? Ità planè est. Sed numquid locum hunc non adorabimus? Imò non minori adoremus reverentia ubi jacent, quam ubi steterunt. Non enim alii sunt, sed iidem, & eadem nobis

cha-

charitate, & studio benefaciendi jacentes, qua multiplici stantes in loco reveriti sumus.

Accedit, quod utilissimè nobis jacent. Jacent enim ut nos erigant. Jacent, ut firmo gradu stare in veritate nos doceant. Jacent, ut qui stat, videat, nè cadat. Iacent immoti, ut socordes hortentur ad cursum, de quo Apostolus: Sic currite, ut comprehendatis.

Ergò illis jacentibus, erigamur. Ab infimis erigamur ad summa. A bonis perituris ad æterna. A nobis omni bono carentibus, ad bonum, quod est omnia bona.

Ergo tantum roboris à pedibus Domini jacentibus mutuemur, ut semel erecti semper stemus in veritate, adversus mundum, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus mundi fallacias, & omne mendacium.

Ergo ab immotis excitemur ad cursum nunquam intermittendum, nisi postquam metam attigerimus, & bravium. Neque cadamus animo, audientes, multos quidem currere, sed unum tantùm accipere bravium. Non solum enim hic unus Christus est; sed ad felicissimam unitatem hanc pertinet, quisquis vita, moribus, charitate cum Christo unus est.

2 Si quis malè sibi conscius ad pedes benignissimos, vereatur accedere, pro certo sciat, se à vero, quàm longissimè aberrare. Sunt enim pedes Principis Pastorũ, nullum à se repellentes peccatorem. Non

so-

ſolum Magdalenam, quæ multum dilexit. Admittunt etiam qui parum dolent, quià parum amant. Admittunt etiam, qui timore pęnarum accedunt, & admittunt, ut de timentibus faciant amantes, & de lugentibus timore ſupplicii, faciant lugentes horrore peccati.

Sed rogabis: Numquid hi pedes ſinent ſe illis manibus contrectari, quæ tam acerba vulnera intulerunt? Numquid ab iis, qui ſoliti fuerunt acuere linguas, ſicut ſerpentis, & habere labia aſpidum veneno ſcatentia. Pſalm. 139. 2. oſcula patientur? Et qui ſiccis oculis viderunt Solem, in Domini morte lugentem, lugere ad hos pedes audebunt, imò pedum vulneribus non verebuntur infundere lacrymas? nec audaciæ redarguentur? Nec procul faceſſere jubebuntur?

Qui repulſam ejuſmodi timet præ ſuorum magnitudine delictorum, latitudinem immenſi amoris ignorat. Ille ſolum hoc ſepulchro indignus eſt, horumque pedum obſequio, qui pauculas denegat guttas pedibus non ſolius Magdalenæ lacrymas ſitientibus, ſed omnium peccatorum.

Ergo mittamus timorem Peccatores omnes. Multiplicatæ fuerint iniquitates noſtræ ſuper capillos capitis noſtri, & ſicut onus grave, gravatæ ſint ſuper nos. Magna ſit indignitas noſtra. Magnoque intervallo diſtet luctus noſter à lacrymis Magdalenæ; non propterea omni ſpe deſtituamur. Sed poſt Sanctiſſimam Pœnitentem,

& poſt

& post innumeras Animas, illius, quæ multum flevit, multumque dilexit imitatrices, accedamus, & nos, plenoque fiduciæ corde, gemamus, atque clamemus: Non dimittemus Domine pedes tuos, nisi benedixeris nobis.

3 Ad augendam fiduciam veniæ, ad pedes Domini jacentis in tumulo impetrandæ, recolant Pęnitentes, quam pulchri sint super montes pedes Apostolorum annunciantium, & prædicantium pacem, teste Isaia 52. 7. annunciantium bonum, annunciantium salutem, & dicentium Sion: Regnabit Deus tuus. Si enim ità pulchri sunt pedes discipulorum, quam erunt speciosi pedes Magistri antè mortem super montes: post mortem verò intrà viscera montis in tumulum excavati: quã erunt, inquam speciosi pedes de tumulo annunciantis, & prędicantis pacem inquirentibus eam: annunciantis bonum, quod est super omne bonum; & prędicantis annum placabilem Domino, & captivis indulgentiam, & clausis apertionem, & dicentis Sion: Non vocaberis ultrà derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata. Isaiæ 62. 4.

Hæc missus à Patre annunciavit nobis, vivens, & lustrans Regiones, & Castella Iudeę. Hęc predicavit moriens; hęc mortuus predicare non desinit in sepulchro, & sicuti exaltatus à terra, ità in sinum terrę demissus, trahit omnia ad se ipsum. Dum viveret, & exultaret, ut gigas ad curren-

dam

dam viam, sequebatur fugientes. Vita verò functus fugientes traxit ad se: quia sicuti sequenti nullum adhuc supererat iter suscipiendum, ad finem cursus, & operis instituti: ità profugis, nihil aliud supererat, nisi ut fugerent à Deo irato ad Deum placatum, & nihil magis timerent, quam divelli à pedibus, à quibus tota contentione recesserant.

Dicamus ergo, quam pulchri pedes, quos non viæ longitudo, non labor, non asperitas retardavit à cursu, ut nolentibus sibi prodesse, prodessent.

Quam pulchri pedes Evangelizantis pacem non cognoscentibus viam pacis, quam pulchri pedes invitantis ad pacem inimicos suos; annunciantis bonū indignis omni bono: prędicantis indulgentiam, & salutem captivis, atque dicentis: Ego dispono vobis Regnum, sicut dispofuit mihi Pater, ut edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo.

Lividi pedes sunt, exanimes, exangues, læthali gelu rigentes sunt, speciosi tamen sunt, eoque speciosiores, quo abundantius illa gratia, quæ diffusa est in labiis speciosi forma præ filiis hominum, diffusa est etiam in vulneribus pedum, idem per vulnera sua loquentium, annunciantium, prędicantium, quod loquuntur labia annunciantis pacem, evangelizantis bonum, prędicantis liberationem captivis, indulgentiam reis, vitamque æternam morte damnatis.

Quis

Quis ergo formidet ad istos pedes procidere, & quam per benignissima vulnera pacem annunciant; & bonum, & liberationem, & indulgentiam, & vitam, quam prędicant implorare?

4 Lucę 7. 40. Respondens IESUS dixit ad illum. Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Hęc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti. Hęc autem ex quo intravit non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti. Hęc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Si vivens Dominus ità delectabatur obsequio pedibus suis exhibito, in domo Pharisęi: quanto magis mortuus idem probabit obsequium exhibitum in sepulchro? Intremus igitur tumulum, & si Pharisęus non dedit aquam pedibus Domini, demus nos: demus aquam oculorum nostrorum. Demus aquam Pœnitentiæ salutaris. Pro capillis sanctissimæ Pœnitentis, utamur cogitationibus mentis nostræ ad tergendos pedes lacrymarum imbre perfusos. Acquè grati sunt Domino, sive decidui oculorum nimbi, sive sanctarum capilli cogitationum, quibus memori animo versamus viam tanta cum exultatione susceptam, tantoque prò nobis labore confectam. Non cessemus Beatæ Pęnitentis exemplo osculari pedes, per quos osculum pa-

pacis inquirimus, & acquirimus.

Osculis accedant unguenta virtutum, & præcipuè virtutum incipientibus congruentium. Tria unguentorum genera Diuus Bernardus enumerat. Serm. 10. in Cantica. Devotionis unguentum, quod ex recordatione beneficiorum conficitur, convenit capiti, juxtà sententiam citati Doctoris. Pietatis unguentum ex consideratione miseriæ sublevandæ conflatum, per universum Christi corpus diffunditur, non dico illud Crucifixum, sed quod illius Passione est acquisitum, mysticum videlicet corpus Ecclesiæ.

Unguentum verò contritionis convenit pedibus, quià ex recordatione Peccatorum Animæ peccatricis manibus distillatur, extremisque corporis membris infunditur. Neque tamen usque adeò contemptibile, aut vile est, quin totam domum odore compleat suavissimo. Si enim attendamus, quanta in unius Peccatoris conversione fragrantia respergatur Ecclesia, & quantis fiat odor vitæ ad vitam indubitanter pronunciabimus, quià domus impleta est ex odore unguenti. Ipsas Beatorum mansiones attingit Pęnitētiæ odor, ita ut teste ipsa veritate, magnum gaudium sit inter Angelos Dei super uno Peccatore pęnitentiam agente.

Concludit Sanctus Doctor. Gaudete Pęnitentes, pusillanimes confortamini, Securæ manus vestræ distillent myrrhæ amaritudinem in salubrem hanc unctio-

nem,

nem, quia cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Non est omninò spernenda, nec vilis æstimanda hujusmodi unctio, cujus odor non solum homines provocat ad correctionem, sed & Angelos ad exultationem invitat.

5 Ad uberiorem Pęnitentiæ fructum. è vulneratis Domini pedibus decerpendum, consideremus monita, quæ Diuus Bernardut tradit Sermone 3. in Cantica, de osculo pedis, manus, & oris Domini.

Monitum primum ad Animam peccatricem. Anima onerata peccatis, suæque adhuc carnis obnoxia passionibus, non temerè assurgat ad os serenissimi Sponsi, sed ad pedes severissimi Domini mecum pavida jaceat, & cum Publicano terram tremens, non Cęlum aspiciat.

Monitum secundum. Non tibi, ò quæcumque es talis Anima, non tibi ille locus vilis, aut despicabilis videatur, ubi Sancta Peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi Æthiopissa mutavit pellem, & in nouum restituta candorem, jam tunc fiducialiter, veraciterque respondebat exprobrantibus sibi verbum: Nigra, sed formosa Filiæ Hierusalem. Miraris, quanam id arte potuerit, vel quibus obtinuerit meritis. Paucis accipe. Flevit amarè, & de intimis visceribus longa suspiria trahens, salutaribus intrà se succussa singultibus, felleos humores evomuit. Cęlestis Medicus celerrimè subvenit, quià velociter currit sermo ejus.

Mo-

Monitum tertium. Hujus ergo Beatæ Pœnitentis exemplo prosternere, & tu, ò misera, ut desinas esse misera; prosternere, & tu in terram, amplectere pedes, placa osculis, riga lacrymis, quibus tamen non illum laves, sed te, & fias una de grege tonsarum, quæ ascendunt de lavacro; ità sanè, ut suffusum pudore, & mœrore vultum, non antè sustollere audeas, quam audias, & ipsa: dimittuntur tibi peccata tua: quam audias: Consurge, consurge captiva Filia Sion; consurge, excutere de pulvere.

Præfatis monitis accedat ejusdem Abbatis Sancti doctrina Serm. 54. inter parvos de labiis Animæ divinos pedes osculantis. Labia hujusmodi sunt: Ratio, & voluntas. Rationis est, inquit ille, percipere sapientiam, voluntatis virtutem. Si sola ratio percipiat sapientiæ cognitionem, & voluntas non habet virtutis amorem, non est plenum osculum. Aut si sola voluntas obtineat amorem, & ratio minimè percipiat cognitionem, nihilominus est semiplenum. Tunc verò plenum, & perfectum est, quando, & sapientia illustrat rationem, & virtus afficit voluntatem.

6 Ultima consideratio desumi potest ex Cantic. 5.16. ubi dicitur. Crura illius Columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.

Basibus aureis pedes Domini comparantur, quià sicuti Sponsi caput aurum optimum, & manus ejus tornatiles aureæ ple-

næ

næ hyacintis; ita pedes aurei sunt.

Aurei autem sunt primò, quià nisi fuissent ex auro probatissimæ Charitatis, fulcire non potuissent, crura, tamquam columnas marmoreas, quibus immensi labores debebant incumbere, totusque mundus peccatorum omnium pondere prægravatus. Sola Charitas Christi tanto robore pollere poterat, ut sub tanta mole minimè aut satisceret, aut curvaretur.

Aurei sunt secundò quia quacumque incessetunt, aurea ubique virtutum impressere vestigia. Non solum enim charitas, sed omnis Christi virtus est aurum: quia virtus omnis in Christo, omnia propter Patrem cogitante, dicente, operante, patiente, erat eminentissima charitas.

Aurei sunt tertio, quia Danielis 1. 32. Statuæ Regi Chaldęo per somnium ostensæ, caput ex auro optimo erat, pedum verò quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. At pedes Christi Domini, neque partim ferrei, neque partim fictiles sunt. Sed sicut caput ejus aurum optimũ, ita pedes ejus erant aurum probatissimum. Fuerunt quidem crudeli ferro trajecti, ut adhuc patentia vulnera testificantur; Sed erga ferreum animum traijcientium nulla indignatione commoti, cursum viæ laboriosissimæ confecerunt, ut vel inimici, & crucifixores sui de ferreis secundùm mores in aureos verterentur. Non fictiles, non imbecilles, sed robustissimi, omnisque defatigationis expertes, ita cururrerunt,

ut

ut comprehenderint. Comprehenderunt nimirum opus fictile manuum suarum, illudque in pristinum, imò in melius, reformarunt, feceruntque, ut omnes, si vellemus, tutò servare possemus thesaurum, quem in vasis fictilibus habemus. Quid ad hæc admiratione suspensi hæremus? Nimirum sicut in capite humanitatis assumptæ, ità in pedibus tota Divinitas est. Tota Sapientia Patris in capite: Tota Fortitudo Verbi Omnipotentis in pedibus est. Ideò caput, ideò pedes aurum optimum.

Denuò igitur antè Dominum procidamus, & adoremus in loco, ubi jacent pedes ejus, & primò quidem petamus charitatem de plenitudine Charitatis, qua pedes pretiosissimi portaverunt mundi totius infirmitatem, & nostram; discamusque alter alterius onera portare ad Galat. 6. 2.

Petamus secundò, ut gradientes per vestigia, quæ nobis ubique pretiosis pedibus reliquit impressa Dominus, sicut ille ambulavit, & ipsi ambulemus.

Petamus tertiò. Ne primis extrema dissentiant, neque capiti aureo pedes partim ferreos, partim fictiles subiiciamus. Adsit benè cœptis Sapientia Patris: nosque ad exitum vitæ felicem perducat fortitudo Verbi Omnipotentis.



MEDITATIO VII.

De Spiritus Sancti Adventu.

1 Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter in eodem loco. Actorum 2. 1.

Secessio ab omnibus humanis tumultibus, & curis, fuit dispositio prima, qua se Discipuli Domini, Divino excipiendo Hospiti compararunt. Secessionem hanc Deo gratiorem reddidit Obedientia. Nam juxtà mandatum illud: Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto; quieti sedebant expectantes promissionem Patris.

Dispositio secunda, fuit concordia. Erant enim omnes pariter in eodem loco, non solum visibili, sed invisibili. Erant enim omnes in eo, non quomodò Peccatores, sed quomodò Iusti, in quo vivimus, movemur, & sumus. Nulla concordia in loco firmiori constantior. Nulla quies in loco securiori felicior.

Dispositio tertia fuit fervens unanimis, & perseverans oratio. Omnes enim erant unanimiter perseverantes in oratione, cum mulieribus, & MARIA Matre IESU. Actorum 1. 14.

Vide Anima mea, quam tibi cordi sit sevocatio à rebus fluxis, & inanibus, ab inutilium cogitationum turbis, varijsque tumul-

multibus cupiditatum in diversa trahentium cor tuum. Sede in Civitate pacis, si vis indui virtute ex alto.

Vide qua concordia Sanctis inhæreas. Vide ubi locorum sis. Locus tuus est nè Cęnaculum Ecclesiam referens? Locus tuus est nè ille, extrà quem volenti quiescere non est alius? An locus tuus est mundus, & Regio bonorum, nihil præter speciem exteriorem boni habentium, corporisque tui terra inanis & vacua? Quid misera quæris in istis locis?

Postremò vide quæ sit oratio tua. Si tepida, si frigida est, quomodò illum Ignem expectas, quem Dominus missurus in terras, ascendit in Cœlum, & voluit vehementer accendi? Si discors, atque dissentiens ab oratione Sanctorum, quid spiritum unitatis postulas, & sanctitatis? Si moræ impatiens, & repulsę; qui fieri potest, ut non tibi pudorem inijciant Apostoli perseverantes in petendo, unà cum Matre illius, qui sępius repulsam passus à Patre, non tamen destitit ab orando?

2 Et factus est repente de Cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis.

Non sine ingenti sonitu venit, cujus virtute in omnem terram exiturus erat sonus Apostolorum legem novam promulgantium, legem Amoris, non timoris, legem, non descriptam in lapideis tabulis, sed felicius, & profundius in Amantium cordibus incidendam.

Ingenti cum sonitu venit, ut à somno excitet dormientes, ut rebellibus timorem incutiat, ut à male cęptis desistere nolentibus bellum indicat; & sibi militaturis pugnæ signum edicat, adversus Principem tenebrarum, adversus mundum, adversus cupiditates noxias, & scelera universa

Ad sonitum hunc expergiscere Anima mea.. Vox magna, magni Dei est. Non est qui non audiat vocem hanc, vocem sermonum grandium. Ideò quicumque non timet, quicumque non amat, inexcusabilis est. Vox enim Divini Spiritus, omnes concutientis, commonefacientis, deterrentis à vitijs metu pœnarum, invitantis ad virtutem spe præmiorum, evocantis ad Bonum incommutabile ex toto corde, ex tota Anima, ex tota fortitudine diligendum, ad omnes ingenti cum sonitu fertur, & aures interioris hominis percellit. Vè autem audientibus, & corda sua obdurantibus.

Fit autem repentè sonus de Cœlo, quià Divinus Spiritus ubi vult spirat, & quandò vult. Improvisus est illius adventus, qua hora non putatur, lux illius menti, motio illabitur cordi. Quare in singula momenta vigilandum est, ut quoties vox insonuerit, manus admoveantur operi, pedes expediantur ad cursum.

Fit prætereà repentè sonus de Cęlo, quia Diuinus Spiritus efficacissimus est, & celerrimus in agendo. Ideò D.Gregor.homil. 30.

30. in Euang. O' qualis, inquit, est Artifex iste Spiritus! Nulla ad discendum mora; agitur in omne, quod voluerit. Mox enim, ut tetigerit mentem docet, solùmq; tetigisse, docuisse est. Nam humanum subitò, ut illustrat, immutat affectum: abnegat hoc repentè, quod erat; exhibet repentè, quod non erat. Pensemus Sanctos Prædicatores nostros quales hodierna die reperit, quales fecit. Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui antè in verbis timebat. Et qui prius ancillæ vocem requisitus timuit, post adventum Spiritus Sancti vires Principium cęsus premit.

Adimatur mihi, Spiritus Patris Spiritusque Filij, Paraclite Ineffabilis, adimatur facultas resistendi, qui tamdiù corde, & auribus incircumcisis restiti, cui nemo resistere potest. Vincat efficacia tua duritiam meam. Vincat celeritas tarditatem; Ope tua, exuam repentè quod fui; & fiam repentè, quod sine Te esse non possum.

3 Et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Domus, quæ Spiritu Sancto repletur, Ecclesia est, & quælibet Anima Sancta est. Cur autem, non utcumque domum replere dicitur, sed totam replere?

Dicitur primò totam replere, quià ubi ipse est, nullus alius spiritus est. Non patitur secum spiritum erroris, ac deceptionis. Sapientissimus enim est. Non spiritum arrogantiæ aut contemptus. Mitissimus enim est. Non invidiæ, atq; discordiæ, Benignis-

ſimus enim eſt. Non ſpiritum triſtitiæ exſiccantis oſſa. Fons enim gaudij eſt.

Dicitur ſecundò totam domum replere, quià nullam partem, quia nullum receſſum domus vacuum relinquit donis ſuis, & ſe ipſo. Ad internas quaſque conſcientię latebras deſcendit, & abditiſſima quæque detegit, & latentes animi motus, & veſtigandos proponit intellectui, ut erubeſcamus, & voluntati, ut de leviſſimis quibuſque noxijs propenſionibus, minuſque rectis intentionibus, pęnitentiam agamus.

Quot gratias debemus Spiritui totam domum replenti, ut illam faciat dignam ſedem ſuæ Divinitatis? Sed ut tantæ Beneficentiæ fructum referamus, quæramus primò, utrum Anima noſtra ſit domus ſuper angulari Lapide Chriſto fundata. Si nobis inhæſerimus, & mundo, ſimiles erimus viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, ut habetur Matth. 7. 26. & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta eſt ruina magna: Si verò ſoli Deo, ſoli angulari Lapidi inhęſerimus, immunes erimus à ventis, à fluminibus, à ruina.

Quæramus ſecundò, utrum abſint à nobis ſpiritus Divino Spiritui adverſantes. Abeſt ne levitas intellectus, & ſtudium novitatis, veritati fabulas anteponens? Abeſtne ſpiritus arrogantiæ, ſpiritus contentionis, ſpiritus triſtitiæ exſiccantis oſſa? Si procul aberint hi, ſimileſque ſpiritus ne-

nequam, tota domus salutari flatu replebitur.

Quæramus tertiò: Utrum libenter Spiritum omnium scrutatorem, in penetralia quælibet cordis nostri, Animę nostræ admittamus, & patienter monentem audiamus, & monenti pareamus, & imperfecta perficiamus, & renovationis indiga renovemus.

4 Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis. Act. 2. 3.

Cur in speciem ignis è Cœlo delabitur Spiritus Veritatis? An quià nihil igne actuosius? An quià nihil fęcundius? An quià nihil illustrius simul, atq; calidius?

Si quia nihil actuosius, quid magis rationis consentaneum? Quid enim actuosius Spiritu Creatore, non solum vniversa condente de nihilo, & vocante ea, quæ non sunt; tamquam ea, quæ sunt; sed in omnibus Peccatoribus ad nihilum redactis per peccatum, omni deterius nihilo, cor mundum creante, & spiritum rectum innovante in visceribus nostris. & mentes, quas in tenebras suas Princeps tenebrarum converterat irradiante splēdoribus sanctitatis, & in lucem Solis Iustitiæ commutante?

Si quia nihil fęcundius; quid fęcundius Principio, de modica tenuissimæ cognitionis scintilla, immensum amoris incendium excitante, & dum ab uno ad alium conceptus propagatur ardor, totum mundum flammis exundantibus occupante?

Si quià nihil splendidius simul, atque ca-

lidius; quæ major distantia, quam inter amorem prophanum; atque Divinum? amor prophanus, sicut ignis Gehænnæ, quanto est ardentior, tantò est lucis expertior. At Divini Spiritus Amor, quantò est ardentior, tantò est Sapientiæ luce illustrior. Et ideò in omnibus hoc igne correptis ardor affectus, à luce Sapientiæ non dividitur, & lux auget ardorem, & ardor, quo Bonum diligitur, novę, semper claritatis est author, qua verum inspicitur.

Ad nihilum, Paraclite ineffabilis, mea me peccata redegerunt. Voca me Domine ad esse, quod amisi, & renova in me tuæ prodigia Omnipotentiæ, cor mundum creando in me, & faciendo, ut qui defluxi à Te, ad me, à me revertar ad Te, & vivat Anima mea de Te, & Spiritus Animæ meæ sit Spiritus tuus.

Qui de modica scintilla cognitionis, amoris incendia excitas, decidat à Te in cor meum una ex his scintillis, ut postquam per tot annos novi Te, & amavi me pro Te, discam tandem diligere Te, non me, & conceptus ignis à me diffundatur in alios; & animo, cui ad concipiendum ignem nulla fax hactenus admota sufficit, una scintilla sufficiat.

Qui denique totus Amor, & totus es oculus, cęcum à me cupiditatum amorem depelle, & prò cęco, amorem tribue oculatum, ad imaginem Amoris tui, qui Spiritus es Veritatis, & cujus idircò Ardor, & Lux, non solum æqualia sunt, sed Unum.

Se-

Sed sine me Beatissime Spiritus adhuc unum loqui, licet sim pulvis, & cinis. Quid sibi vult ignis, quò velas Majestatem tuam, ardentes dispertitus in linguas? Numquid sicuti splendor, ut dictum est sapientiam refert, ità linguæ species, index est Eloquentiæ? Ardor efficacię in dicendo? Multiplicitas verò linguarum; numquid est adumbratio, exuberantię, & effusionis Tui extrè Te, qua Lumen tuum, Facundiam tuam, contentionem Orationis tuę communicas Auditoribus, & Amatoribus tuis. O' si præter sapientiam ad intelligendum, fierem etiam particeps facundiæ ad te laudandum, & prædicandum, vehementiæ ad me, & alios incendendum odio vitiorum, amore virtutum, amore Sanctitatis, Sanctique, Sanctorum: denique multiplicitatis linguarum ad exercitationē Charitatis gaudentis cum gaudentibus, flentis cum flentibus humilibus consentientis, non alta sapientis, sapientia tamen utentis cum Sapientibus.

5 Seditque suprà singulos eorum. Act. 2, 3. Sedit suprà singulos sedere jussos in Civitate, & sedet etiam nunc suprà singulos Civitatis Dei Habitatores, non discessurus, nisi abire cogatur. Quis autem ità durus, & inhumanus, ut abire cogat gaudentem esse nobiscum, sicut ille gaudet, à quò missus est? Sicut enim ille mundum relinquens, & vadens ad Patrem, non discessit à nobis, sed mansit apud nos usque ad consummationem sæculi: Ita veniens Tu ad

nos dulcis Hospes Animarum nostrarum; ut doceres nos omnia, & suggereres nobis omnia, quæcumque erat ille dicturus nobis, non venisti, ut illicò recederes, sed ut maneres apud nos, & habitares in nobis, essetq; Tibi Anima nostra sedes ad habitandum simul, & docendum.

Mane igitur, & sede, & semper sede super singulos in Civitate Sancta sedentes: & ut similirer sedeas apud me, & in me, fac me dignum civem illius Civitatis, quam non facit Amor sui, usque ad contemptum Tui: sed amor Tui, usque ad contemptum sui. Amem Te semper plusquam me. Neque me nisi propter Te. Absit à me, ut contristem Te. Satis superq; contristavi, minimè quem conrristarem, considerans. An etiam considerans, & à contristando nihilominus non desistens? Utrumq; feci, multumque doleo, & quod ignorans fecerim, & multò magis, quod sciens. Sciebam enim Tè. & noveram me, & experimento didiceram, quod non habet amaritudinem conversatio tua, nec tędium convictus, sed lætitiam, & gaudium Ne autem contristarem Animam meam, volui contristare Spiritum omnis tristitię depulsorem.

Sed numquid concidam corde, omnique spe deturber? Manus, vocesque ad illum tollo, qui postulat prò nobis gemitibus inenarrabilibus. Tu meo cordi gemitus, mittissime Consolator, Tu aquas oculis suffice, quibus quicquid adversum Te peccavi, eluere possim. Te juvante pęnitentia salu-

ta:

taris, de omni inconstantia mea sit constans: Vetus Homo, tollatur omninò: Vitę novitas firma sit, & immobilis: Amor caducis omnibus moriendi, Tibique soli vivendi, sit immortalis; ut omni à me instabilitate sublata, mecum esse non cesses, qui venis, ut sedeas, & è cęlo mitteris, ut supra singulos sedentes sedeas, & in omnium Fidelium cordibus perenniter conquiescas.

6 Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cęperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Act. 2. 4.

Non otiosè Divinum Spiritum, ipsiusque dona acceperunt Apostoli: sed nulla interposita mora Deum glorificaverunt varijs loquentes linguis; & audientes, quo ipsi ardebant igne inflammarunt.

Nos vero Divinis aucti muneribus, quid agimus? Et ego præ cæteris, quid ago? Cur frustrà thesaurum habemus in vasis fictilibus, illam nimirum gratiam, per quam Divinæ consortes efficimur Naturæ, & Filij Dei nominamur, & sumus. Donis aliis prætermissis, quæ sortiti sumus, & quotidiè sortimur à Deo, in unam justificantem gratiam conijciamus oculos, & videamus, quam in plerisque otiosum sit donum aliorum omnium Fons, & origo donorum.

Indito sibi pondere, forma pręstantissima Gratiæ sanctificantis fertur in Deum, animumque nostrum vehementer impellit, ad cogitandum, ad loquendum de Deo, rebusque Divinis, ad agendum, ad vires omnes exercendas, ut obsequamur Deo, ipsius-

que gloriam amplificemus! O' si quò vocat impetus, niteremur! Si res ità se haberet, non complicatis manibus, uti nunc, sederemus, nihil agentes, nihil nisi inania cogitantes, de inanibus fabulantes, tempus pretiosi temporis jactura fallentes; sed omnia quæ mundi sunt, nihil ducer mus; sed nostra conversatio in Cœlis esset, & os loquens de abundantia cordis, loqui non posset, nisi de summo Vero, de summo Bono, de summa Vita, de summa Luce, de summa Pulchritudine, quæ omnia Deus est. Loqueretur os nostrum de Deo cum Deo; de Deo nobiscum; de Deo cum Fratribus nostris; & ità loquens non impediret auditum, quominus voces Dei loquentis audiremus, & de plenitudine Divinæ Sapientiæ sapientiam hauriremus, majoremque dicendi vim de plenitudine omnis facundiæ acciperemus. Sic esset ardens cor nostrum, dum Spiritus sapientiæ nobis loqueretur in via, & nos cum ipso, & de ipso nostris cum Fratribus loqueremur.

Utinam ità Divino Spiritu repleremur, ut summa celeritate, sicut animus de concepto igne ferveret, ità lingua cordi consentiens ardentia verba diffunderet: imò tota vita linguæ conformis, Dei magnalia Sanctis operibus loqueretur. Si volueris, Benignissime Spiritus, etiam tacente lingua, non tacebit cor nostrum, non tacebunt oculi, manus admotæ operi non tacebunt; sed sicuti dederis loqui & lingua, & vita: ità, & verbis, & operibus eloquemur.

HEB-

HEBDOMADÆ QVARTÆ,

Meditatio Prima.

De Sanctitate Domini in forma Hominis.

1 LUcæ 2. 52. JESUS proficiebat Sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & Homines.

Proficiebat quidem JESUS ætate, sed quomodò proficiebat sapientia, & gratia? Non proficiebat utique secundum intimam perfectionem; sed proficiebat solum secundum majoris excellentiæ manifestationem. Dum enim plures, & mirabiliores effectus ederet sapientiæ, & sanctititatis, sapientior, & sanctior in suis effectibus elucebat. Et quià hæc manifestatio verissima erat, ideò dicitur profecisse coram Deo, & hominibus, seu apud Deum, & homines.

Talis sapientia, talis gratia Dominum Incarnatum decebat. Sicut enim sapientia, & sanctitas Verbi nostra mortalitate induti incapax est cujuslibet additamenti, & sicuti unioni hypostaticæ Verbi cum homine, nullà poterat addi perfectio; ità con-

consentaneum erat, ut creata assumpti hominis sapientia, & sanctitas incrementi omnis capacitatem excluderet.

Dejectis igitur in terram vultibus, una cum justis omnibus beatisque Spiritibus procumbamus antè Dominum plenum sapientia, & perfectum decore in omnibus viis suis, à die conditionis suæ, ipsique exultemus, quoniam de illo verissimè dictum est; Fœmina circumdabit virum. Fuit enim in utero a die conditionis suæ Vir ità Sapiens, Fortis, & Sanctus, sicut in Cruce, se offerens Patri prò toto mundo, singulisque Peccatoribus, Templum, & Altare; Victima, & Sacerdos.

Ab utero factus est Principatus super humerum ejus, neque ab illo puncto minus habuit sapientiæ, ad regendum, minus roboris ad pugnandum, minus felicitatis ad vincendum, quam cum exaltatus à terra, trahensque omnia ad se ipsum, donavit nobis omnia delicta, & quod adversus nos erat chyrographum decreti, delevit, & Cruci illud affixit, & expolians Principatus. & Potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. Ad Colossens. 2. 15.

Venite igitur fideles omnes, & coram Domino procidamus, & exultemus, & exultantes ploremus. Exultemus ipsi, tanta eminentia cognitionis, & gratiæ prędito: Ploremus nobis, & de nobis tanta intellectus caligine circumfusis, tanta voluntatis nequitia corruptis, Si tot justi ac

Pec-

peccatores de illo illuminati, sanctificatique lætantur, cur nos adhuc jacemus in tenebris, altoque indulgemus sopori? Intellectus obscurati, depravatæque voluntatis causas vestigemus, & rejiciamus.

2 Qui non poterat, aut sapientior fieri, aut sanctior, in singula tamen momenta exultabat ut gigas ad currendam viam immensi laboris, & fructus, & gloriæ; singulisque passibus merebatur, quicquid satis erat ad jura Divinæ Justitiæ læsa in integrum restituenda, ad mundum reparandum, ad peccati tyrannidem evertendam, ad effringendos carceres captivorum, captivosque in libertatem filiorum evocandos, Cęloq; donandos. Erant enim quælibet opera pretii omni pretio majoris, nec uni tantum Orbi redimendo, sed pluribus, graviorique jugo servitutis laborantibus sufficientis. Numquam tamen cursum intermisit, sed fuit in laboribus à juventute sua psalm. 87. 16. nobis laborem illi præbentibus, & facientibus, Dominum vitæ, mortisque servire in peccatis nostris.

Sed cur Domine IESU tota vita laborasti clamans clamore nobis incognito: quid raucæ factæ sunt fauces tuæ, cur defecerunt oculi tui dum aspiceres in auxiliatorem. Psalm. 68 4. si merita quoad vim intensivam, augere non poteras: si à prima conceptione, satis, superque satisfeceras pro injuriis irrogatis Patri?

Desidiam videlicet nostram carpere inten-

tendebas læthalemque dormientibus somnum excutere, ut surgeremus, & calcaria subiicere ut viam mandatorum tuorum totis viribus curreremus. Descripsit unumquemque nostrum Spiritus tuus Proverb. 26. 13. loquens: Dicit Piger, Leo est in via, & Leena in itineribus. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ità piger in lectulo suo. Abscondit piger manum sub ascella sua: & laborat si ad os suum eam converterit.

Tales planè sumus. Omnis virtutis, omnis sanctitatis expertes, laborem omnem fugimus, & ubi nihil est metuendum metuimus, & nobis viam salutis; & perfectionis ingressuris inanes timores fingimus, & more puerorum dicimus: Leo est in via, opprimet nos: & Leena in itineribus, ferociam illius evadere non poterimus, quare segnitiem nostram foventes, pedem efferre domo corporis nostri negligimus, lucem odimus, & sicut ostium vertitur in cardine suo, ità nos in lecto degeneris otii torpentes, latus latere commutamus. Sub ascella, vel in sinu manum abscondimus, nihil agentes, & videtur nobis labor immensus, si manus ad os convertamus, hoc est, si executioni mandemus, quod ore, magistra fide, proferimus. O' segnitiem! O' probrum maximè detestabile! Et Discipuli nominamur illius, qui cœpit facere, & docere, & volumus legis esse Doctores, sed non Factores.

3 Quod si tanta socordia minimè labo-

ra-

ramus, sed vestigia tua premere utcumq; contendimus, quam longissimè tamen à preeunte distamus, & quotidiè, & in multis delinquere non cessamus. Apostolus tuus Paulus, cum tot, ac tanta egisset, & pertulisset prò tui nominis amplificatione, plura tamen agere, & plura pati desiderabat. Non enim se comprehendisse arbitrabatur, sed ut scribit ad Philipp. 3. 13. quę quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens se ipsum, ad destinatum persequebatur, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo JESU.

Verus imitator tui Paulus, quæ retrò sunt obliviscebatur: ad instantia verò extendebat se ipsum. Non quid egisset attendebat, sed quid agendum esset. Nos verò, quid viæ peregerimus, attentè consideramus: quid verò, quantumque supersit itineris non attendimus. Vix iter ingressi, diverticula quærimus; vix terram tetigimus vomere, sulcisque semina credidimus, & ante brumas hyemis, & sata gelu rigentia, maturas jam segetes, versamus animo, & jam horreo messes inferimus; Sanctorum omnium immemores, qui semper consueverunt ire; & flere mittentes semina sua; exacto verò tempore hyemali, & verno venientes venire cum exultatione portantes manipulos suos. Ratio nostræ vitę hujusmodi est. Nihil duri, nihil incommodi experiri placet. Et agere, & pati fortia Christianum esse testamur. Sed quod in aliis commendamus, aliis relinquimus.

Non

Non de militia cogitamus, sed de stipendio, non de certamine, sed de corona.

Vide insipientiam, vide torporem tuorum, Imperator optime, qui nullum hostem pertimescens, nunquam tamen arma ponebas: & qui habens, undè facillimè Fortem alligares, & mundi Principem foras eiiceres, & nefariis Potestatibus spolia detraheres, & captivos in libertatem assereres, nihilominus, ut abundantius nostræ saluti prospiceres, noctes ducebas insomnes, in oratione Dei pernoctans; tota die contristatus incedebas, & quià nondum exaltatus à terra, trahebas omnia ad Te ipsum, mœrore gravissimo conficiebaris. Vide quam dissimiles Tui sint militantes sub vexillis tuis.

Numeramus dies, & annos conversionis; & res gloriosè gestas à die conversionis numerare non possumus. Et ità expertes bonorum operum, de mercede miseri cogitamus. Salutari vultus nostros pudore suffunde, antequam districti judicii dies adveniat, nè in conspectu severissimè omnia discussuri, nimis probrosa confusione, & nimis inutili confundamur.

4 Reliquisti nobis exemplum Domine, 1. Petri 2. ut vestigia tua sequeremur, qui peccatum non fecisti, nec inventus est dolus in ore tuo, qui cum maledicereris, non maledicebas, cum patereris non comminabaris: tradebas autem judicanti Te injustè. Qui peccata nostra ipse pertulisti in corpore tuo super lignum, ut peccatis mortui,

tui, justitiæ viveremus, cujus livore sanati sumus.

Singula ex Apostolo Petro deprompta, consideratione digna sunt. Sed qui singula non potest percurrere, atque perpendere, Dominum saltem alloquatur, ac dicat: qui peccatum non fecisti, reliquisti nobis exemplum. Vide quis quibus exemplum reliqueris. Tu Sanctus, Tu innocens, Tu impollutus, tu segregatus á peccatoribus, & excelsior Cęlis factus Tu non indigens quotidiè, prius prò tuis delictis Hostias offerre, deindè prò populi: quod innocentiæ reliqueris exempla Spiritibus immortalibus, quod hominibus innocentissimis, quod Pueris Babylonicæ fornacis, quod juvenum, virginumque Choris, qui stolis illibati candoris purpuram addidere martyrii, magnę utique dignationis fuit. Sed numquid etiam Te fecisti Sãctitatis exemplar peccatoribus? Etiam perditissimis peccatorum? Etiam mihi?

Audite Cęlum, ac terra. Audite omnia, quæ Cęlum impletis, ac Terras. Audite prodigia dignationis: Audite, & videte magnitudinem Sanctitatis, quę cum tanta sit, se proponit peccatoribus imitandam.

Ergo peccatores omnes ad pedes provoluamur illius, qui peccatum non fecit, & cujus in ore inventus dolus non est, & ab illius clementia summis precibus contendamus, ut nos de impiis justos, de filiis tenebrarum filios lucis efficiat. Qui veritas æter-

æterna est, & Sapientia Patris doceat nos omnem veritatem, prę stetque, ut non inveniatur dolus in ore nostro. Non solum ab ore, sed ab omni vita removeat omne mendacium. Non solum verba nostra auspice Veritate, vera sint, sed opera, & species exterior actionũ habeat perfectum cum interiori virtute consensum.

5 Duo præ cęteris Domine IESU, immutabili firmitate sanctam reddebant Humanitatem tuam: Unio hypostatica, & visio beata. De utroque beneficio tibi in forma Hominis collato, perennes hymnos Patri tuo persoluant, quorum est alternis vocibus canere: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Quoniam vero omnis cognitio primi Veri, per ænigmata, est quædam participatio cognitionis Beatæ: & unio amoris cum summo Bono, est quædam participatio unionis hyppostaticæ; tribue nobis sapientiam Sanctorum, ut primam Veritatẽ, in singulis rerum conditarum veritatibus, contemplemur. Tribue vnionem charitatis, qua tibi adhęreamus, qua tecum unus spiritus efficiamur. Si jucundissimæ disciplinæ operam dederimus, audiendo, credendo, legendo, meditando; & dum in praxim redigimus audita, credita, lecta, discussa, nobis vim inferendo, quam longissimè aberimus à peccando. Si verò cognitioni Tui Amor accesserit, si nexu isto fortissimo tibi copulabimur, quis, & quid nos separabit à Te?

Nemo

Nemo ſeparabit, ut inquit D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap. 11. minando mortem. Idipſum enim quod diligimus Deum, mori non poteſt, niſi dum non diligimus; cum mors ipſa ſit non diligere Deum. Nemo ſeparabit pollicendo vitam. Nemo enim ab ipſo fonte ſeparat, pollicendo aquam. Non ſeparabit Angelus. Non enim eſt Angelus, cum inhęremus Deo noſtra mente potentior.

Non ſeparabit virtus; nam ſi virtus apud Apoſtolum illa nominetur, quæ aliquam poteſtatem in hoc Mundo habet, toto mundo eſt omninò ſublimior mens inhærens Deo. Sin virtus illa dicitur, quæ ipſius noſtri animi rectiſſima affectio eſt: ſi in alio eſt, favet ut coniungamur Deò: ſi in nobis eſt, ipſa coniungit.

Non ſeparabunt inſtantes moleſtiæ, hoc enim leviores illas ſentimus, quo ei, undè nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus. Non ſeparabit promiſſio futurorum; nam & quicquid boni futurum eſt, certius promittit Deus. Et nihil eſt ipſo Deo melius, qui jam profectò benè ſibi inhęrentibus, præſens eſt.

Non ſeparabit altitudo, neque profundum. Nam quis mihi, inquit Auguſtinus Cęlum polliceatur, ut à Cęli fabricatore ſeiungar? Aut quis terreat infernus, ut Deum deſeram, quem ſi nunquam deſerviſſem inferna neſcirem? Poſtremò quis me locus ab ejus charitate divellet, qui non ubique totus eſſet, ſi ullo contineretur loco?

6 Sed

6 Sed cum innumera sint Bone JESU tuæ testimonia Sanctitatis, numquid illud prætereibo, quod cum esses Verbum Omnipotens, per quod facta sunt omnia, tamquam Agnus coram tondente Te obmutescere voluisti: neque solum cum malediceteris, non maledicebas, cum patereris, non cominabaris, sed cum interficiebaris, vitam interficientibus tribuebas? Judex vivorum, & mortuorum subiisti judicium te iniquissime judicantis: & justitia sempiterna peccata nostra pertulisti in corpore tuo super lignum, ut livore tuo sanati, & morti per mortem tuam erepti, peccatis moreremur, justitiæ viveremus.

Quid prius suspiciam? Silentium Verbi, quo loquente, non solum sidera, sed omnia, quæ in lucem sunt evocata dixerunt: Adsumus? An Tribunal iniqui Judicis judicium ferentis, de justitia sempiterna? An mortem Vitæ, ut vita donarentur, qui Vitam, extrà quam vita non est interfecerunt?

Quocumque me verto, immensæ occurrunt tenebræ, immensa lux oculos ferit. Da ut noverim Domine, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum Sanctitatis tuæ. Latitudo pusillanimem erigat, & confortet. Longitudo longanimem faciat, in orando, gemendo, opem expectando, adversariis repugnando, adversa tolerando. Sublimitas sursum attollat oculos, ut omnia terrena despiciens, nihil magis amem, quam tuæ sanctitatis cel-

situ-

situdinem contemplari. Profundum, profunda confusione me repleat propter iniquitates meas, quæ causa fuerunt, ut Salvator mundi exclamaret: Saluum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad Animam meam: & qui imperat ventis, & mari diceret: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: & Altissimus quereretur: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Psalm. 68. v. 1. 2. 3. Quid ejusmodi sanctitate profundius?

Quoniam semel cępi, loquar adhuc ad Dominum meum cum sim pulvis, & cinis. Rogo Te in reverentiam silentii tui, pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meiis, quoties vel dicteriis incessar, vel justè reprehendar.

Si vi, si calumniis opprimar, da ut semper illa recogitem: Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & improperat nobis peccata legis. Promittit se Scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Gravis est nobis etiam ad videndum. Videamus ergo si sermones illius veri sint. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum &c. Sap. 20.

Si nimius me timor peccatorum meorū exterreat, & ad considerationem judiciorum tuorum immodicè perturber, suggere menti meæ, quam pretiosa fuerit in conspectu tuo Anima mea, & quam libenter peccata mea pertuleris in corpore tuo super

per

per lignum, & mortuus fueris, ut ego vi-verem, & sepultus, ut ego de Gehennę sepulchro educerer, & non perpetua putredine, vermibusque scaterem, inter mortuos innumerabiles, quorum neque vermis moritur, neque mors.

MEDITATIO II.

De Humilitate, & Obedientia Domini.

1 CLarissimus claritate, quam habuit antequam mundus fieret: Ad hæc etiam clarissimus humani generis claritate, obscurus nascitur, vivit obscurus, obscurus moritur. Cum dives esset propter nos egenus factus est, ut illius inopia ditaremur; & cum esset Omnipotens infirmus factus est, ut infirmis infirmitate sua consuleret.

Vide humana superbia, Regis nobilissimi, ditissimi, potentissimi humilitatem. Tu majores jactas, & si clari generis natura te fecit expertem, mentiris genus, vel certè obscuritatem generis occultas. Filius Dei dissimulat quod est. Tu simulas, quod non es. Avitum decus affectas superbe Peccator, & ex illo Patre es, qui primus omnium desiit esse. Filius Dei. Vera nobilitas Sanctitas est. Filiatio Dei est. Quęre hanc ad ima descendendo, non te suprà

te

te efferendo. Donec ista carveris, non solum eris ignobilis, sed omni notatus infamia inter ignominiæ vasa computaberis.

Prætereà pone te juxta faciem tuam, & considera, utrum paupertatis te pudeat, ac infirmitatis. Cur paupertatem fugis? Cur versari inter pauperes erubescis, cum ille tanti fecerit paupertatem, qui cum dives esset propter nos factus est pauper, & paupere tecto, & veste, & mensa paupere usus est, & pauperibus ad Apostolatum electis, ne quid sibi morienti superesset, inimicis ipsis vestimenta divisit, & mortuus aliena sindone involutus est, conditusque sepulchro non suo? Non tibi sit pudori ista paupertas: sed illa, qua omnis veri boni expers, miser es, & miserabilis, & pauper, & cęcus, & nudus. Hanc inopiam erubesce, non illam, quam inopia sua Rex Gloriæ Gloriosissimam fecit.

Fugis etiam nomen infirmi, declinans cor tuum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, vel apud ipsos conscientiæ arbitros. Quid vis fortis apparere, si nemo te imbecillior, fragilior, inconstantior? Quid Medicum celas morbos Animæ tuæ, nè saneris? Vide Fortissimum illum, per quem facta sunt omnia, despectum, & novissimum Virorum, Virum dolorum, & scientem infirmitatem. Neque solum Omnipotens factus est particeps nostræ infirmitatis, quià vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Sed prætereà passus

est nostra peccata sibi attribui, imò ipse attribuit sibi dicens Psalm. 21. Deus Deus meus respice in me: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Nulla major infirmitas infirmitate peccati. Ab hujus opinione noluit Medicus se purgare, ut omnes sanaret ægrotos. Tu verò cum tot peccatorum morbis labores, vis non videri Peccator.

2 Verùm, ut Humilitatem Filii Dei, nostramque superbiam penitiùs intueamur, consideremus attentè verba D. Bernardi Sermone tertiò in Vigil. Natalis Domini. Postquam enim commemorasset corpus humanum de limo terræ formatum, & vitæ spiraculum in illius faciem inspiratum, subjungit:

Voluit quoque infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet se ipsum, limo nostro coniungeret, & in Persona una sibi invicem unirentur, majestas, & infirmitas; tanta vilitas, & sublimitas tanta! Nihil enim Deo sublimius. Nihil vilius limo. Et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum: ut quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili, quam incomprehensibili Sacramento.

Et attende, quià sicut in illa singulari Divinitate Trinitas est in Personis, Unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione

tione Trinitas est in substantiis, in Persona unitas. Et sicut ibi Personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem, itá & hic Persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ, Personæ dissipant unitatem. Verbum enim, & Anima, & Caro in unam convenere Personã: & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ sed unitate Personæ. Concludit Sanctus Abbas.

Adverte Homo, quià limus es, & non sis superbus: quià Deo conjunctus es, & non sis ingratus.

Si hæc itá se habent, cur superbiat limus ad tantam dignitatem evectus? Ità enim exaltatus est, ut se quantum posset, cum Deo se humiliante, ad ima deprimeret. Ne sit ingratus. Ne sit superbus. Quicquid habet vilitatis suum esse cognoscat; Quicquid habet Gloriæ, Glorificatori acceptum referat. Et ut sit gratus, sicuti Deus factus est limus, ut posset prò nobis omnium pedibus conculcari: itá se pedibus omnium prò Deo subiiciat. Nulli dedecori, nulli se probro subducat.

Dictum est de Sapientia Patris; Undè huic Sapientia hæc, & virtutes? Non nè hic est Fabri Filius? Matthęi 13. 55. Dictum est de Sancto Sanctorum. Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Matthęi 26. 65. Dictum est Amantissimo Custodi generis humani, Victorique omnium dæmoniorum: Nonnè benè dicimus nos, quià Samaritanus es Tu, & dęmoniũ

habes. Io: 8. 48. Alia multa in ipsum convicia congesta sunt. Ergò qui gratus esse vult, videat quid sibi agendum sit. Sępius graviora sunt maledicta, quam facta contumeliosa. Verus igitur amator Christi sæpius recolat, non solum usque ad vilitatem limi exinanitum, ut peccatorum pedibus tereretur: sed etiam suam excellentiam occultasse, qua linguarum omnium maledicentiæ potuisset occurrere.

3 Dixit Dominus. Matth. 11. 29. Discite à me, quià mitis sum, & humilis corde.

Quam verè mitis fuerit, & humilis corde, clarum est primò quià ipse dixit: Nam ille est, qui peccatum non fecit, & cujus in ore dolus non est inventus.

Clarum est secundò, quià nemo se pleniori corde humiliavit, aut humiliare potest. Quantò enim magis se quis demittit non sola humilitate intellectus, sed affectus, tanto se pleniori ex corde humiliat. Se autem demisit Dominus humilitate summa. Non poterat enim ex majori sublimitate ad majorem descendere profunditatem, cum Deo nihil sit sublimius, & nihil Deo in formam servi exinanito, in formam insipientis, ac stulti, in speciem Peccatoris, in speciem Rei, cum sceleratis reputati, mortui, & sepulti, profundius.

Clarum est tertiò, quià sicut iracundia superbiæ, ità mansuetudo index est humilitatis. Quantò enim quis humilior, tantò mansuetior est. Quis autem Domino man-

mansuetior? In qua nocte tradebatur se tradidit nobis in Cibum, & Potum: & dum Peccatorum manibus interficeretur, dicebat: Pater ignosce illis, quià nesciunt, quid faciunt: hoc est, quià phrenesi laborant, & febris vehementia facit, ut Medicum non agnoscant.

Dixisti Domine te mitem esse, & humilem corde. Utinam ex toto corde credam, quod dixit prima Veritas, & amem, quod amavit Summa Charitas. Sed quomodò credam, & amem quod dixisti, & amari præcepisti ex toto corde, qui factus sum quasi Columba seducta non habens cor? Oseę. 7. 11.

Quomodò pleno, quomodo syncero cordis affectu, possum à te discere humilitatem, si spiritus tuus locutus est de me, quandò Ecclesiastici 2. 14. dixit: Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & Peccatori terram ingredienti duabus viis. Et Cap. 3. 28. Cor ingrediens duas vias nō habebit successus. Cor nequam gravabitur in doloribus, & Peccator adiiciet ad peccandum.

Deindè Tu de summo factus es omnium infimus. De qua summitate ego possum descendere, ut humiliem me? Non aliundè possum descendere, nisi ab illa celsitudine, quam iniquè occupavi, præferens me aliis: imò quis credat? præferens me Tibi, quoties peccavi. Quinam locus infrà pedes omnium Peccatorum, in profundissima regione umbræ mortis tantæ congruit superbiæ? L 3 Po-

Postremò si eminentiam tuæ humilitatis declarat incredibilis mansuetudo erga eos, qui te humiliaverunt, opprimendo, feriendo, occidendo: quid ego contempler tantæ humilitatis exemplar, qui sivè levissimis lacessar injuriis, sivè non ex animi sententia aliquid contingat, iracundia totus exestuo?

4 Quod ad obedientiam Domini attinet considerentur illa verba ex Psalm. 39. 11. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Si maximè probatur in obedientia magnitudo Animi, celeritas, & amor; quam perfecta fuit obedientia illius, qui ab initio conceptionis suæ, vidit omnia, quæ de ipso scripta erant in capite libri, hoc est in summa omnium Scripturarum, de ipso loquentium?

Vidit omnia, & ad omnia sine ulla cunctatione se obtulit, & omnia in medio cordis sui descripsit. Ergo quæ obedientia amplioris Animi, quæ obedientia fortior, promptior, Præcipientis, præceptique amantior, excogitari potest?

Vidit omnia unico intuitu, aspera, dura, plena horroris, plena dedecoris. Numquid ad multitudinem, & magnitudinem tot malorum expalluit? obriguit? animo concidit? Numquid adversus hæc, & illa fortiter insurrexit: ab aliis verò tolerandis avertit se, ratione acerbitatis deterritus, vel ignominiæ? Imò ad longè plura,

& hor-

& horribiliora se obtulit, clamans: Plura Pater, Plura. Pauca sunt ista, & pauca sunt. Plura, & longè atrociora desidero.

Ubi Patris voluntatem cognovit nullam interposuit moram, non tergiversatus est, sed illicò dixit: Deus meus volui. Non dixit volo, sed volui, ipsam quodamodò Patris voluntatem preoccupans, & volens quod volebat Pater, antequam plenè illius voluntas innotesceret.

Neque solum celerrimè paruit, sed amātissimè. Ideò subjungit: Et legem tuam in medio cordis mei. Non dixit in mente, sed corde. Non dixit in corde, sed in medio cordis mei, ut intelligeremus, quam amanter, quam ardenter voluntatem Patris diligeret, quamuis amarissima præcipientem.

Huc animum adverte Peccator infelix. Tu quàm forti animo, quàm prompto, quàm amanti accipis quæ jubentur? Quot ex omnibus, quę proponuntur excipis? Minima solum, & quæ minimum habent molestiæ admittens? Et hæc ipsa, quam timidè, quam cunctanter admittis, huc illuc te versans, & multis nominibus causas hæsitandi prętexens. Quam verò diligis quæ mandantur? Geris ne illa descripta in medio cordis tui? Ergo nihil habes de obedientia dicentis: In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei?

5 Cum esset Filius Dei, didicit ex eis,

quæ passus est obedientiam. & consummatus factus est omnibus obtéperantibus sibi causa salutis æternæ. Ad Heb. 5. 8.

Quid sibi volunt illa: didicit ex eis, quę passus est obedientiam? Numquid antequam ageretur in Crucem, quid esset obedientia nesciebat? Sciebat utique scientia infusa, sciebat scientia beata. Imò sciebat etiam scientia experimentali, quam hauserat ab obedientia per tres annos suprà triginta in actus suos redacta, sed nondum sciebat scientia experimentali exactiore, quam hausit ex eis, quæ in Cruce passus est, ut potè præteritorum omnium asperrimis, ac difficillimis. Voluit autem, pręter labores vitæ exactę, experiri Crucem, clavos, spinas, mortem, ut esset nobis Pontifex probatus per omnia, & ut nos doceret, facilius disci virtutes, illas exercendo, quam speculando, & contemplando. Ille quidem hujusmodi experimento non indigebat; erat enim antè experimentum Crucis, & mortis numeris omnibus absolutus obediens. Sed nos indigebamus, ut incenderemur ad virtutes discendas, illarum potius exercitatione, quam studio.

Se unusquisque attentè consideret, videatque utrum gaudeat scire magis, quam agere. Multi multa sciunt, & se ipsos nesciunt. Et quidem multi ex iis, qui se Deum profitentur adorare in spiritu, & veritate, multa ex frequenti lectione Patrum, & meditatione Scripturarum, & jucun-

cunda rerum Divinarum contemplatione cognoscunt; Nullius verò sunt roboris ad agendum, ad laborandum, ad injurias beneficiis rependendas, ad se ipsos vincendos. Simplici cognitione, & quæ indè proficiscitur consolatione contenti, obedientiam norunt, & laudant: Sed obedientiæ legibus se subducunt: Crucem colunt, sed Crucem ferre detrectant. Amori Crucifixo compatiuntur, sed passionum ejus nolunt esse consortes. Isti non semel, iterumque, sed sæpius recolant, cur Filius Dei voluerit ex iis, quæ passus est discere obedientiam.

6 His quæ dicta sunt, sequentia subiiciamus, quæ habentur Io. 8. 29. Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum; quià quæ placita sunt ei facio semper.

Quia Pater, qui Te miserat, Magister, optime obedientiæ, tecum erat, protegens ac regens, humanitatem tuam. quæ placita sunt ei faciebas semper. Rursum, quia, quæ placita sunt ei faciebas semper, ideò Pater tecum erat, probator, & amator obedientiæ tuæ.

Ità non deserat nos Pater tuus, ut semper pareamus, & semper parendo, novis titulis, illius nobis præsentiam, protectionem, gratiam mereamur. Nullum tuę vitæ momentum, nulla cognitio, sermo nullus, actio nulla caruit obedientia summa cum perfectione magnanima, celeri, amante; & ità usque ad mortem obediens potuisti dicere, antequam morereris: Con-

summatum est. Exactissimè videlicet obediendo, consummasti omnia, quæ Tibi præcepta fuerant: Consummasti opus reparationis humanæ Tibi demandatũ: Cõsummasti laboriosissimæ iter peregrinationis, de qua dixeras: Io: 16. 28. Exivi à Patre, & veni in Mundum: iterum relinquo Mundum. & vado ad Patrem: Consummasti sacrificium sacrificiorum omniũ maximum, ut carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una Corporis, & Sanguinis tui impleret oblatio. Diu. Leo Serm. 8. in Passione Domini. Consummasti prælium ingens, de quo locutus fuisti. Io: 12. 31. Nunc judicium est Mundi, nunc Princeps hujus Mundi eiicietur foras: Consumasti denique ædificium Ecclesiæ inchoatum à Baptismo Ioannis, sicuti tradiderunt nobis tuarum Scripturarum interpretes D. Epiphanius, & D. Augustinus, atque in tua morte perfectum, nè de Te diceretur: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.

Hæc autem omnia per cõsummatã obedientiam consummasti, usque ad ultimam inclinationem capitis in Cruce, in argumentum reverentiæ ergà Patrem, & amoris erga Peccatores, ut ità cõsummatus fieres omnibus tibi obtemperantibus causa salutis æternæ.

Perfice Domine JESU etiam in nobis opus tuum: Ut sicuti Tu, ità nos, quæ placita sunt Patri tuo faciamus semper.

Sis

Sit obedientia nostra non solum ad omnia indifferens, & imperterrita: sit non solum prompta, non solum amore flagrans, sed sit immobilis atque perpetua. Nunquam tędeat nos benè cęptorum. Non dicatur nobis: Currebatis benè; quis vos impedivit veritati non obedire? Absit, absit, ut non obediamus Tibi, qui Via, & Veritas, & Vita nostra es. Factus es omnibus obtempe antibus Tibi causa salutis æternæ. Da igitur, ut obtemperemus usque ad finem viæ, ut obtemperemus usque ad intuitum veritatis: ut obtemperemus, usque ad fruitionem vitæ.

MEDITATIO III.

De Charitate Domini in Templo præsentati.

1 MOre aliorum Primogenitorum offertur Deo, quis credat? Ille qui est Imago Dei Invisibilis, Primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in Cęlis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principiatus, sive Potestates. Ad Coloss. 1. 15.

Offertur ille, qui est Caput corporis Ecclesiæ, qui est Principium, Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum te-

tenens: Offertur autem tamquam vnus ex illis Primogenitis, qui offerebātur ad recolēdam memoriam beneficij Hebræis collati illa nocte, qua omnes Ægyptiorum domos, Primogenitorum cęde funestans Angelus pepercit domibus Israelitarum, quià illarum postibus, & superliminaribus, cęsi Agni sanguis erat aspersus, ut habetur Exod. 12. 13.

Divinus igitur Infans in illo sanguine, sanguinem suum, & in illo Agno seipsum adumbratum intelligens, non solum offert se Patri, ut Primogenitum, sed etiam, ut Agnum, per quem omnes Primogeniti Israelis, hoc est Electi, æterna Morte liberandi erant.

Quis explicet, quo amoris igne Puer arderet, & quo desiderio teneretur illius sanguinis profundedi, qui prius in ænigmate consecraverat, mox verò multò felicius per seipsum postes Fideliū erat consecraturus, & omne mali contagium depulsurus à domibus, domorumq; Habitatoribus?

Adhuc parum idoneus vulneri, manibusque tortorum, dicebat. Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor, vsque dum perficiatur? & quià nondum poterat cruorem effundere, lacrymas prò cruore fundebat, & prò Sacrificio dilaro, sacrificij offerens desiderium, exhibebat Patri in se ipso Hostiam viuentem, sanctam, placentem, & in odorem suavitatis super omnes hostias acceptabilem.

Gratiæ agantur immensæ Infantulo nimis

mis amabili pudeatq; nihil hactenùs obtulisse, de nobis, aut illi, qui ut nobis parceret, Filio non pepercit: aut illi, qui non aliquid de se ipso, sed se totum ab ineunte ætate offerens Patri, totum similiter se nobis impendit. Si teneri pueritiæ anni, si adolescientia, si iuventus nostra inutiliter effluxerunt, maturiorem saltem ætatem offeramus Parvulo suam prò nobis infantiam offerenti: Et si maturioribus annis jam senecta successit, senium ipsum offeramus vetustatem omnem auferenti, & veteris Hominis, sicut Aquilæ iuventutem renovanti; Si non possumus sanguinem, lacrymas offeramus: & si ne lacrymas quidem cordis duritia suppeditat; confusionem vultus nostri, & sancta desideria offeramus ipsa prò factis desideria Coronanti.

2 Sed quibusnam postibus divini Agni sanguis, & quibus superliminaribus per Agni mystici Sanguinem significabatur illinendus, vt essent domus à Fulminatoris Angeli cęde securæ, & præcipuè Primogenitis parceretur?

Postes, & ostia, per quę in Animas nostras patet ingressus, sunt omnes potentiæ exteriores, & interiores, corporeæ, & incorporeæ obiectorum suorum expressivæ. & quoniam intellectus, vtpotè omnis expers materiæ, est eminenti modo omnis sensus externus, & internus, potissimum obtinet locum inter potentias, per quas in domos Animarum nostrarum intratur: adeoque superliminaris nomine potest intelligi. Quo-

Quomodò autem his postibus, & superliminaribus immaculati Agni sanguis aspergitur?

Si sermo sit de sensibus externis, & internis, ejusmodi aspergitur sensibus, per illas virtutes, quas nobis Domini Sanguis acquisivit, temperantiam videlicet, mortificationem, modestiam, verecundiam, & si quæ sunt aliæ continentes in officio levitatem, & curiositatem, videndi, audiendi, imaginandi. Sensus interiores, & exteriores ad omnem moderationem ità compositi, cœlestis Agni quodamodò Sanguine purpurascunt.

Intellectui verò sensus omnes ad perfectissimam in se ipso unitatem redigenti, aspergitur per Fidem, Sapientiam, Prudentiam consiliatricem, & cætera dona divini Spiritus pertinentia ad Intellectum, Sanguis Domini in his virtutibus, tamquam suis effectibus, perseverans, & Intellectus superliminare consignans, arcet à domo omne infortunium, & præcipuè removet cordis interitum.

Hoc est Illud Primogenitum, quod inter omnia sibi postulat Deus dicens Exodi 13. 2. Sanctifica mihi omne Primogenitum quod aperit vulvam in Filijs Israel, tam de hominibus, quam de jumentis. Mea sunt enim omnia. Clarius verò. Proverb. 23. 26. Præbe Fili mi cor tuum mihi.

Si Patri Cęlesti ità cordi est cor nostrum, quo corde Filium Infantem, se illi credimus obtulisse, ut corda nostra servaret ille-

sa,

sa, deposcenti præ omnibus Primogenita? Sed non poterant illesa servari, non poterant ab interitu vindicari, nisi domorum postes, & superliminaria, sanguine cęsi Agni ruberent. Ergò immoletur Agnus dicebat Agnus; aperiantur venæ, fundatur sanguis totusque fundatur, ut omnium postibus. & superliminaribus illinatur, & nulla in domo Israelis, mors Primogeniti lugeatur.

Nihil Pater Sancte iniquiori animo fers, quàm cędem Primogenitorum, quam interitum cordium humanorum, Uniuersa ista corda, corde meo complector, & ne ipsa intereant morti libenter occurro; & quià tandiù mors optata differtur, morior, quià non morior.

3 Sed alia ratio Primogeniti considerenda occurrit, quæ omitti non debet, vt Charitas & Beneficentia Parvuli, se prò nobis offerentis ad cędem, clarius elucescat. Primogenitus in vnaquaque domo, cui propitius est Deus, est homo noster interior transformatus in Christum illo genere transformationis, de qua loquitur ad Galatas, Apostolus 2. 20. Christo confixus sum Cruci. Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.

Ad hujus Primogeniti generationem coucurrit primò Fides, de qua Divus Aug. in Decalog. dixit: Primogenita cordis nostri Fides est. Nemo enim benè operatur, nisi Fides præcesserit. Omnia opera tua bona Filii tui sunt spirituales, sed inter illos

ti-

tibi primogenita Fides est.

Concurrit 2. Charitas bonorum operum locuples. Fides enim sine Charitate, & operibus ex Charitate, mortua est.

Concurrit 3. Cor instructum Fide, & Charitate. Sicut autem Fides, & Charitas concurrunt per modum partium componentium, minus præcipuarum: ità concurrit cor tamquam subiectum in se recipiens imaginem Filij Dei; & ut principium efficiens ad agendum suprà vires, Gratiæ viribus elevatum.

Concurrit denique tamquam forma potissima, totiusque operis cōsummativa imago illa, & similitudo mirabilis, qua Iustus dicit: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chrstus. Primogenitum hoc sibi præ cæteris postulat Deus. Qui verò dixit: Delicię meæ esse cum Filijs hominum, ideò dixit, quià similis hominibus exinanitione sua: homines assimilat sibi cōmunicatione suæ plenitudinis: & in hominum filijs ad suam celsitudinem à sua vilitate traductis, suam in singulis contemplatur imaginem, totidemq; velut in fratribus seipsum intuetur, ac diligit.

Hinc illud vehemens in Puero desiderium reipsa præstandi, quod multò antè per immolationem Agni fuerat prænunciatum: quantum fratres suos diligebat, quantumque desiderabat Primogenitorum interitum à nostris domibus removere, tantum ardebat fundendi sanguinis desiderio, quo super utrumque postem, & in superli-

mi-

minaribus posito, illa tandem prædictio impleretur: erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus erit: & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quandò percussero terram Ægypti. Exod, 12.13.

Quoniam ità diligis nos, non aliundè amabiles, nisi de Te, Amor infans, & Amor æterne, fac de Amore tuo amantes, & Primogenita nostra Patri tuo offerenda vna cum Primogenito primatum in omnibus tenente, fac de sanguine tuo secura. Non peribunt, si perire nolueris. Si januas domorum nostrarum sanguine tuo tingere non desieris: Non peribit illa similitudo, per quam nos, jam non vivimus nos, sed tu vivis in nobis: non peribit illa Imago, per quam præstas, ut Filii Dei, fratresq; tui nominemur, & simus.

4 Sed nostram considerationem hoc loco non prætereat aliud Charitatis ineffabilis argumentum. Iam verò, quid fiet, ajebat Puer, dum se tamquam Agnum sacrificandum offerret, de Primogenitis Ægyptiorum? Numquid irreparabili cęde tollentur, & quibus prodesse poterat mors mea, nullatenùs profutura est? Illis etiam Pater & prò illis offero, quicquid sanguinis habeo, & quicquid vitæ, multumque doleo, quod me pereunte ne pereant, adhuc perituri sint, quià tenebras magis dilecturi sunt, quam Lucem. Vocabo enim, & renuent. Extendam manum meam, & non erit, qui aspiciat. Consilium omne dispi-

cient,

tient, & invitantem & clamantem: Revertimini, & vivite; deridebunt; Peribunt ergo, quià erunt ex ijs, qui dicent: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Isaiæ 28. 15. sed si fieri posset, ut ab Inferis illos educerem, etiam postquam ab inferis resurrexero, denuò prò illis morerer, ut qui adversum me fœdus precusserunt cum morte, vitam sortirentur æternam.

Quid dicis Bone IESU, & quid exoptas? Si fieri posset ut de reproborum cordibus triumphares, post mortem occisam, triumphatumque tua morte peccatum, rursum de Immortali mortalis, novam pugnam inires, nova exciperes vulnera, novo sanguinis imbre terram irrigares, ut veluti frumenti granum terræ arenti, lapidosæ, spinis implexæ creditum, mortuumq; multum fructum afferres, & in lętam, uberemque segetem vnà cum impijs mutatis in justos, exurgeres.

O' Charitatem! O' cordis latitudinem nullis finibus comprehensam! Fieri nè potest, ut ad tale rigescam incendium? & nihil de me offeram illi, & prò illo, qui postquam obtulit prò toto Mundo, & prò me, id, quò majus offerri non potest, illud idem offerre desiderat, secundum id, quod in ipso est, prò ijs, prò quibus reipsa offerri non potest. Qui ad procurandam animarum salutem deses est, recolat sępius desideria, quibus desideratus cunctis gentibus nobis prodesse deficerat. Recolat quid

ege-

egerit, dixeritque jam sedens ad dexteram Patris Carpo Cretensi Pastori, in votis habenti, ut peccatores duo, sana consilia detrectantes, positique, ut ipsi videbatur, in summa Gehennæ crepidine, devolverentur tandem aliquando in preceps. IESUS enim unà cum Angelis suis è Cęlo delapsus, jam jam lapsuris, clementissimam porrexit manum, & adhuc protensa dextera, Carpo dixit: Iam percute adversum me. Paratus enim sum etiam iterum prò salvandis hominibus pati. Dyonis Areop. ep.8. ad Domophilum. Baronius Anno Christi 59. Petri 15.

5 Oblatus Patri per manus Matris, & oblatus oblatione perfectissima per se ipsum, vult redimi aliorum more servorum, tamquam servus, qui erat Dominus omnium, & tamquam legi subditus, qui erat Legislator supremus; & Mundi Redemptor vult redimi ac si esset indigus redemptionis. Nimirum, ut legem servare, & amore parendi parere, & viam mandatorum suorum currere disceremus, non erubescit, imò amat apparere servus, & legi subditus, ac tamquam unus è numero captivorum, qui non posset in libertatem asseri, nisi prò ipso constitutum pretium solveretur

Quam sit Charitas ista sublimis, declarat profunditas Humilitatis: & quanti sit pretij Charitas illius, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientię Dei: declarat Liberalitas omnia Bona sua tam vili pretio vendentis. Quo-

Quonam autem pretio redimitur, qui cum dives esset factus est omnium egenus, ut sua nos inopia locupletaret? Quo pretio redimitur dives in omnes, qui invocant illum? Quinque siclis redimitur. His persolutis restituitur Matri, & per Matrem mundo, & mihi quoque restituitur. Non pluris emitur Regnum, cum Rege suo? Infinita auri, argentique talenta, nè minimæ quidem particulæ Regni sufficiunt comparandæ. Quomodò quinq; tantum sicli prò toto Regno cum ipso Rege solvuntur.? Quam rectè dixisti Domine per Isaiam 55. 1. Omnes sitientes venite ed aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite. & comedite. Venite emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?

6 Sed si absque argento, & absque ulla commutatione emitur fons aquæ, & vinum, & lac, & panis vivus, qui de cęlo descendit, nè sicli quidem quinque necessarij sunt, ad emendum Deum. Emitur enim absque argento, & absque ulla commutatione, & quidem emitur, & redimitur ab ijs, de quibus scribit Apostolus prima ad Corinth. 6. 19. An nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Ergo magno empti pretio, sine ullo pretio illum emimus, qui se nobis dedit in pretium. de-

Sed quomodò, inquies, quod absq; argento, & absque ulla commutatione traditur, emptio dici potest? Si quid hoc pacto tradatur, liberaliter donatur, non emitur. Ejusmodi quæstioni in hæc verba respondet Divus Bernardus Serm. 2. De resurrectione Domini. Quid est emere sine argento, sine commutatione? Non talis est empio apud amatores hujus sæculi, sed apud Authorem sęculi, alia esse non potest. Prophęta enim dixit Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Quam igitur commutationem ei dabis homo prò Gratia sua, qui nullius eget, & cujus sunt universa? Gratia gratis datur, & cum emitur gratis emitur, quia quod datur prò ea, nobis melius retinetur. Tria ergo nummo propriæ voluntatis emenda sunt: quam quidem dimittentes nihil amittimus, etiam & lucramur plurimum, commutantes illam in melius, ut comunis fiat, quæ propria fuit. Porrò comunis voluntas, Charitas est. Emimus ergo absque commutatione, recipientes, quod non habuimus, & quod habuimus melius retinentes.

Ex his perspicua primò est Charitas se tradentis. Ut enim se tradat omnibus, sive egenis, sivè avaris absque ullo pretio se tradit.

Perspicuum est secundo, quomodò in unum coeant, & venditionis ratio, & donationis. Eadem traditio, venditio dicitur, quia à volente Bonum Infinitum emere,

re, loco pretij nummus propriæ voluntatis exigitur, eadem verò traditio perfectissima donatio est, tum quià voluntas emptoris, quæ traditur venditori, venditoris est, tum quia voluntas cum omnibus alijs, quæ præter se ipsam offerre potest, si Deo conferatur nihil est: Nam in conspectu illius omnia, quæ sunt, tamquam ea, quæ non sunt: Tum denique ut Sanctus Abbas subtiliter, & verè nos docuit: Voluntas, quæ traditur, non amittitur, sed retinetur commutata in melius. Dum enim Deo emendo persolvitur, de propria fit communis. Voluntas verò communis Charitas est, seu voluntas est prædita Charitate. Quid ergò amittimus tradendo in pretium voluntatem? Quod tradimus, retinemus, & ad majorem perfectionem evectum retinemus & in Dominium Dei translatum, excellentius possidemus in Deo, quam in nobis ipsis.

Perspicuum est tertio, quam rectè oratione in Sanctum Baptisma exclamaverit Nazianzenus. O' miram Beneficentię celeritatem! O' facilem contrahendi rationem! Hoc Bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur. Appetitionem ipsam Deus ingentis loco pretii ęstimat: sitit sitiri. Bibere cupientibus potum præbet; cum à Deo beneficium petitur, beneficio affici se putat: jucundius dat, quam alii accipiunt. Hæc Nazianzenus.

Cur ergo accipere detrectamus, quod ità jucundè dat Pater Filium nobis red-

den-

dendo; quod ità iucundè dat Filius, se pretio quinque siclorum, & nummo voluntatis, venalem omnibus offerendo? Merces vltroneæ vilescunt. Sed numquid merces nostra magna nimis, vilescere potest, etiam oblata? & gratis oblata? Imò quià tam spontè, jucundèque nobis offertur, nobis quodamodo pretiosior esse debet, non solum quia spontè, sed quià gratis offertur. Dum enim una cum voluntate sensus omnes corporis. Animique potentias, adeoq; nos totos offerimus nihil amittimus; sed quod offerimus, mutatum in melius retinemus, & cum ipso Deo gratis empto retinemus, & in ipso Deo perfectissim. possidemus. Quid humaua trepidas avaritia? Pretium hominis Deus est. Licet hominem, quem tradis amitteres, & nullatenus retineres: quę utilior commutatio, quam si homine commutetur Deus?

MEDITATIO IV.

De Sacramento Eucharistico sub specie Vini Dominum continente.

1 Cantic. 5. 1. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam, cum aromatibus meis. Comedi fauum cum melle meo; bibi vinum cum lacte meo.

No-

Nobis ad convivium eucharisticum accessuris suo prælucens exemplo Conviva noster, atque Convivium, tria considerandа proponit.

Dicit enim primò. Messui myrrham cum aromatibus meis, ut intelligamus, myrrham, & amarissimas lacrymas pœnitentiæ eucharisticæ sumptioni præmittendas esse, cum aromatibus omnium virtutum, illud inter cętera efficientium, ut Christi bonus odor simus.

Dicit secundò. Comedi fauum cum melle meo; hoc est comedi Corpus meum continens Animam, & Divinitatem, sicut fauus continet mel. Qui manducat mel, non manducat fauum. Non enim fauus de rore Cęli in ceram concretus, idoneus est comestioni. Verum Christi Corpus, fauus est ità duluis, & palato gratus, ut unâ cum melle dulcissimo manducetur. Quid Anima, quid habeat dulcedinis Christi Divinitas, nemo novit, nisi, qui accipit: imò nemo perfectè novit, nisi qui dicit, Venite, comedite, & bibite.

Dicit tertiò. Bibi vinum cum lacte meo, hoc est bibi sanguinem cum Divinitate mea sub specie sanguinis latente. Verbum lacti componitur, quià, ut advertit Cornelius à Lapide, sicut lac ex mamilla Matris profluit, ità Verbum ex vi generativa Patris procedit, ut homines lactet, doceat, & pascat.

Quod si verborum illorùm: Bibi vinum cum lacte meo: sensus est; Bibi sanguinem

me-

meum, qui simul est vinum, & lac: Multò magis idem intelligendum est de Verbi Divinitate, quæ simul est vinum, & lac præstantissimum. Lac nimirum, quatenus nutrit, refrigerat, & impinguat. Vinum verò, quatenus cor lætificat, calefacit, & inebriat.

Hæc omnia præstat Christi sanguis: sed multò magis Divinitas, quæ vinum illud est, de quo Raphael ad utrumque Tobiam, cum se quis esset prodidisset, locutus est dicens: Tob. 12. 18. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: Sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.

Impetra mihi Beatissime Archangele, ut Sanguinem Domini bibens, gustem etiam illum potum, qui videri non potest; ut gustando videam, quantum videri potest, quod videri non potest, juxta illud ex Psal. 33. 9. Gustate, & videte, quam suavis est Dominus.

2 Sed quinam sunt effectus eucharistici poculi calefacientis, lætificantis, inebriantis?

Effectus primus est: alienatio Animæ à sensibus, mentisque traductio ab usu rationis humanæ, ad usum intelligentiæ, & sapientiæ divinæ. Ideò mens ità alienata judicat, nihil humana felicitate infelicius excogitari posse, nihil pauperius divitiis, nihil molestius mundi voluptatibus, nihil vilius Regum purpuris, & coronis. Ex opposito verò nihil Sanctorum stultitia

ſapientius, nihil pęnarum acerbitate jucundius, nihil ærumnarũ, mortiſque deformitate formoſius. Ideò quantũ fugit laudes humanas, & plauſus, tantum amat neſciri, & prò nihilo reputari. Si ridet fortuna triſtatur. Gaudet verò, ſi minas intentat, ſi ferit, ſi uulnera uulneribus addit. Suprabundat gaudio cum Apoſtolo in omni tribulatione ſua: dicitque cum Ignatio Martyre: Ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Chriſto fruar.

Vide Anima mea quantum ab his affectibus diſcrepent affectus tui. Ergo tu quoque inter illos numeranda es, ad quos dicitur Aggei 1. 6. Comediſtis, & non eſtis ſatiati; bibiſtis, & non eſtis inebriati.

Sed quid cauſæ eſt infelix anima, cur comederis, & ſatiata non ſis? Cur biberis, & non ſis inebriata? Cur illud hactenus ex Propheta Pſalm. 22. 7. uſurpare non potes: Impinguaſti in oleo caput meũ, & calix meus inebrians, quam præclarus eſt? Numquid ebria non es, quia neque ſæpius, neque totum hauſiſti calicem Domini? Et ſæpius hauſiſti, & calicem totum hauſiſti, ſed tota non hauſiſti. Huc enim, & illuc diviſa, voluiſti ſimul bibere de calice Domini, & de calice Babylonis. Qui autem ità bibit, licet totum bibat, qui totus in quolibet hauſtu eſt: Se tamen ità habet, ac ſi nihil de calice Domini bi-

beret. Sicut enim veros Adoratores Patris, Patrem adorare oportet in ſpiritu, & veritate, ità veros Filii Dei Convivas, oportet bibere in ſpiritu, & veritate, quod bibunt de calice ineffabili. Tu quomodò bibis, Anima inſipiens, & miſera? Numquid in ſpiritu, quæ obnox a terrenis affectibus, & verſa in pulverem pulvere tui corporis viliorem, naturâ ſpiritus exuiſti? Numquid in veritate, quæ tota vanitas es, tota mendacium?

Ergo noli mirari ſi de torrente voluptatis biberis, & nihil indè beatiſſimæ hauſeris ebrietatis. Bibe in ſpiritu. Bibe in veritate. Sic totum bibes, & tota inebriaberis, ſenſuſque mutabis, & mentem, juxtà id, quod Diuus Gregoriu docet in Ezechielem homil. 10. dicens: Solet per ebrietatem ſenſus mutari. Qui ergo ad cognoſcendum Dei Verbum devotus eſt, ſed ea, quæ ſunt hujus ſæculi adipiſci deſiderat, bibit, & inebriatus non eſt. Si enim inebriatus eſſet, procul dubio mentem mutaſſet, ut jam terrena non quæreret; jam vana, & tranſitoria, quæ amaverat, non amaret.

3 Effectus ſecundus divini Poculi inebriantis, eſt copia ſermonis, & arcanorum euulgatio.

Cor enim vini ſpiritu calefactum, ac dilatatum, abundat ſpiritibus ad cogitandum, facilemque linguâ impellit ad enunciandum quicquid mens fecunda concepit. Ideò Euchariſtico ebrius Vino, mul-

tus est ad loquendum cum Deo exultans; gratias agens, non vana desideria proponens, preces multiplicans, offerens se, suaque omnia ad nutum omnem divinæ voluntatis executioni mandandum. Multus est ad loquendum cum Cęlitibus, Cęlitumque Regina. Multus ad flammas pectoris effundendas in alios, ut alii simul ardeant, quo ipse ardet, incendio.

Si de arcanorum manifestatione sermo fit, nulla suavior, nulla cum amicis utilior communicatio secretorum, quam illa, quæ ab ebrietate dominici calicis proficiscitur. Est enim communicatio plena veritatis, plena sapientiæ, plena amoris; utpotè ortum ducens à vino illius, qui Veritas est, à vino illius, qui Sapientia Patris est, à vino illius, qui Amor est, & unà cum Patre suo Principium Amoris Infiniti, Patrique consubstantialis, & sibi.

Domine Deus meus magnus, & laudabilis nimis, & cujus magnitudinis non est finis, cur linguis infantium es ità locuples argumentum fandi de te: cur generationes omnes magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquuntur, & narrant mirabilia tua, Psalm. 144. & memoriam abundantiæ suavitatis tuę eructant, & Justitia tua exultant: Ego verò numquam impeditioris linguæ sum, quam cum debeo loqui ad te de te? Et locuturus inter, & ad fratres meos de te, dicere cogor: a. a. a. Domine nescio loqui. Undè tanta jejunitas orationis? Undè tanta sermonis inopia de sermo-

mone, per quem facta sunt omnia? Possunt nè verba deesse de illo, qui facit loquendo, quæ dicit? Mihi sanè desunt, sermo indeficiens, sermo viuus, & efficax, mihi desunt verba de te Verbum Omnipotens, quià non novi te. Quid enim lingua nescientis te loquatur de te? Nescio autem, quiá non amo, neque amo, quia mens mea, & cor meum vino tuo non madent. Utinam ego quoque bibam sicuti bibunt amici tui: Bibam sicut ij, quos charissimos nominas, & illorum more inebrier, ut discam diligere te, & diligendo nosse te, & loqui de te, ad te, & ad omnes, qui diligunt te.

Vide Domine Deus meus, quid petam. Mihi solum debetur calix vini meri plenus misto, de quo Psalm. 74. 7. calix iræ, & furoris tui. Calix, de quo bibent omnes peccatores terræ: & postulo calicem Amoris tui. Ne obsecro irascaris, sed magni peccatoris, secundùm magnam misericordiam tuam miserere, inebriando me, non calice furoris tui, sed Amoris. Quæ, & quanta sit bonitas tua vix novi, & ista peto. Quid peterem, si cognoscerem?

4 Effectus tertius est curarum oblivio juxtà illud, ex Prou. 31. 6. Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo. Bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.

Si vinum ex vuis expressum curas animi pellit, egestatis, atque doloris oblivio-

nem inducit, quantò magis eucharisticum?

Ierem. 2. 19. Quoslibet peccatores objurgans Dominus, dicit: Scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te, Dominum Deum tuum. Benè dixisti Domine non amarum fuisse, sed amarum esse, quod fontem aquæ vivæ reliquerimus. Amaritudo, quam experti sumus deserendo te, non solum fuit, sed est, sed adhuc perseverat, cogitque animo esse, non solum amaro, sed amarissimo.

Verùm, quas tibi debemus gratias dicenti: Date vinum his, qui amaro sunt animo? Quoties, & quam amanter, non solùm præcepisti dari, sed ipse dedisti nobis vinum dulcissimum, quo amaritudo omnis in dulcedinem verteretur? Vinum enim tuum spe de remissis peccatis implevit sæpius, & implet corda nostra: timoremque Iustitiæ, amaras ex oculis lacrymas excutientis, convertit in amorem Bonitatis, totum Animum voluptate dulcissima perfundentis.

Egestas omnium bonorum, omnium virtutum, qua premimur, magna est. Ære alieno gravati gemimus quotidie dicentes: dimitte nobis debita nostra, Undè vivamus non habemus, nisi des nobis in singulos dies Panem tuum quotidianum. Inter innumera salutis æternæ discrimina versati sumus, & adhuc tot periculorum imago terribilis mentibus nostris oberrat, non sine sensu metus, atque doloris. Sed

om-

omnibus tu ejusmodi malis occurris. Præcipis enim, ut hausto vino tuo obliviscamur egestatis nostræ, & doloris præteriti non recordemur amplius. Et verè tuę Beneficentiæ munere obliviscimur. Si enim dignè ad te accedamus, si labra sitibunda humanitati tuæ, tamquam cyatho pretioso cęleste vinum continenti, admoveamus, totumque poculum hauriamus, non recordamur amplius egestatis nostræ, quià illum bibimus, in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei: & non meminimus amplius doloris nostri, quià illum bibimus, qui toties flevit, ut lacrymas nostras abstergeret: dixitque; Tristis est Anima mea usque ad mortem, ut nos omni tristitia liberaret: & antequam in illius gaudium intraremus, ità gauderemus, etiam in hac lacrymarum valle, ut nemo gaudium nostrum tollere posset à nobis.

5 Zachariæ 9. 17. Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi Frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines?

Cur vinum Eucharisticum dicitur germinans Virgines? Causæ plures sunt, dignæque accurata consideratione.

Causa prima est, quià calor eucharistici vini, calefacientis, & lætificantis Amor est. Hic autem amor purissimus est. Nam amor est pulchritudinis non corporeæ, sed incorporeæ. Pulchritudo autem incorporea, ex proportione Iustitiæ, & luce Sa-

pientiæ, tamquam partibus coalescit. Quid autem mundius Sapientia? Quid purius Iustitia, seu Sanctitate? Quod si amor sit non sapientiæ, sanctitatisque finitæ, sed infinitæ: quam erit purus, & mundus ille amor, quem Sapientia Increata, quem Iustitia sempiterna cognita, gignit; perficit, suique candoris consortem facit? Quid ergo miremur, si quod est Frumentum Electorum, sive juvenum sit etiam vinum, unde Virgines læta proferuntur in germina, immortalique juventutis flore donantur?

Causa secunda est, quià qui bibit, & inebriatur ad votum Domini dicentis: Bibite, & inebriamini charissimi, illud potissimum sortitur, ut à sensibus corporis alienetur. Cælestium enim spectaculorum admiratione defixus, nihil videt, nihil audit, nihil ad cæteras sensuum functiones attendit. Quid autem immaculatæ vitæ candori, quid virginitati nocentius, quam licentia oculi sæpè animam deprædantis: quam aurium curiositas audientium, quod melius taceretur: quam odorum studiosè nimis quæsita varietas, quibus delectatur olphactus: quam usus cibi, potusquæ abundantioris, & exquisiti, quo non solum palatum, sed etiam corrumpitur judicium rationis: quam indulgentia nimia, & immodica corporis blandimenta, unde vile mancipium sæpius adversus Dominum insolescit? Externis sensibus, & internis in officio contentis, nullus hostis superest cõ-

ti-

tinentiæ metuendus. Non ergo quæramus ulterius vini causas virgines germinantis. Mirifica enim illius ebrietas usu quodamodò sensuum privat, hominemque corporeæ molis facit expertem.

Tu me Domine, JESU omnium sensuum meorum, totiusque corporis implacabilem inimicum effice, ut victis domesticis hostibus, sicuti vitæ, ità pacis Angelicæ consors efficiar. Magna peto, & indignus peto. Petere tamen libet. Minus enim peto, quam reipsa exhibeas. Peto siquidem ebrietatem ab amore sensuum, ab amore corporis abducentem: Peto alienationem mentis, ad corpus durè tractandum inducentis, sensusque omnes ità severis legibus coercendos, ut jugum excutere nequeant. Tu verò nobis propinas vinum tuum, quod aliud non est, quam Tu.

6 Causa tertia, omissis aliis, vini virgines germinantis est, quia si, ut inquit D. Augustinus: Dulciores sunt lacrimæ pœnitentium, quam gaudia theatrorum: quantò dulcior est voluptas Dominici calicis, quam omnia mortalium gaudia voluptatum? Indè fit, ut illo semel hausto, nectar omne desipiat, quod bibitur è calice Babylonis. Neque solum desipit, quià bibitur cum veneno, & quià ad infelicem haustum indubitata mors, & æterna consequitur: sed omninò desipit, quia quid jucunditatis percipere potest ab immundis, fugacibusque illecebris voluptatum, qui vel semel divinam dulcedinem in suo fon-

te gustavit? Ergò quam rectè *Zacharias* vinum, de quo loquimur, vinum germinans virgines appellavit?

Sed ad profundiorem veritatis propositæ indagationem, latentisque mysterii intelligentiam, juvat miram advertere societatem, quæ inter duos calices dissimillimos intercedit. Primus est mensæ, secundus est Dominicæ Passionis. Primum in ultima Cęna suis Discipulis Dominus propinavit. Secundum Pater obtulit Filio in horto Gethsemani dicenti: Si fieri potest, transeat à me Calix iste. In primo Fons omnium bonorum; In secundo malorum omnium cumulus continebatur. Utrumque bibit Dominus. Et quidem secundum usque ad fæces bibit. Utrumque nobis offert; sed cum hoc discrimine. Primum exhibet plenum. Secundum, vix paucas continentem guttas amari liquoris: & quidem supremis poculi labiis suorum dulcedine labiorum aspersis. Qui de vitæ hujus ærumnis libenter bibit, fit particeps illius calicis, quem prior Medicus bibit, nè bibere dubitaret ægrotus, & sic fieret particeps perfectæ sanitatis, quæ Sanctitas est. Quoniam ergò è primo calice amor bibitur, & quantò magis bibitur, tantò magis amatur Amor Crucifixus, Amor amarissima bibens, & patiens: ideò ebrius de calice mensæ, inebriatur etiam de calice Passionis, quo mundantur omnia, sanctificantur omnia, & Peccatores omnes loti, si volunt, in sanguine Agni, fiunt sicut An-

geli

geli Dei, vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circà pectora zonis aureis.

Si tanta mundities oritur è calice Passionis, cur non vinũ eucharistici calicis dicatur germinans Virgines, unde tanta sitis accenditur, ad hauriendum calicem Passionis? Quis mihi tribuat, ut inebrier utroque calice? Non solum Calix mensæ Dominicæ sit prȩmium laboris, & patientiæ, & omnis amaritudinis. Sed ipse Calix Dominicæ Passionis sit merces mea magna nimis. O' si cor linguæ, & facta consonent orationi!

MEDITATIO V.

De Christo Domino Crucem bajulante.

1 QVibus oculis Crucem primò sibi oblatam aspexit Dominus? Quo affectu complexus! qua sacratissimis humeris alacritate imposuit!

Jam tùm horrida esse desiit arbor infelix, quæ omnibus erat horrori. Ex illo tempore dedecus omne deposuit, rigorem, asperitatem, onus omne, omnem exuit deformitatem. Ex quo enim incubuit cervici, cui totus orbis incumbit, decorem de membris illius suscepit, qui cuncta superno ducit ab exemplo pulchrum pulcherri-

mus Ipse Mundum mente gerens ?

Cur ergo N. omni supplicio digne peccator, tantoperè Crucem fugis? Non est nunc, quod fuit. Erat olim gravis, erat funesta, erat horribilis, atque deformis. Nunc levis est; fausta, & fortunata est. Et ex aspera, atque deformi, facta est amabilis, & de specioso forma præ filiis hominum, speciosissima.

Indè sapientibus rerum æstimatoribus tanta de Cruce lętitia. Indè Sanctus Clarevallensis Abbas de Beato Andrea loquens sermone in ejus pervigilio hæc habet. Quomodò non exultemus in memoria triumphi ejus, quem in ipsa sui præsentia supplicii, tam vehementer novimus exultasses? An non erit læta festivitas, vbi, & Crux ipsa plena est gaudio? Siquidem, & festiuum solemus nominare, quod lætum est, & Crux à cruciatu utique dicitur, aut certè cruciatus à Cruce. Quanta proindè exultatione universæ terræ, celebrandum tantum novitatis miraculum, tam magnificum opus Divinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritus Crucem sitiebat, tam inaudito à seculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi patibulum conspexisset. O' Crux, inquit, diù desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, securus, & gaudens venio ad te, ità ut & tu exultans suscipias me.

Videtis pergit D. Bernardus, quià non se capit præ magnitudine gaudii? Ità, inquit,

quit, ut & tu exultans. Ergo nè tanta est exultatio, ut exultet, & ipsa Crux? Aut quis dicat, minùs contrà consuetudinem, suprà rationem, ultrà naturam Crucifixum exultare, quam Crucem? Illi sensum lætitiæ natura negavit: Huic si quid prævalet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. Amator ait, tuus semper fui, & desideravi amplecti te. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens, & si lingua, certè ignea est. Carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus meis. Atque utinam desolatorii nobis sint, consumentes, & exurentes quod in nobis est carnalis affectionis.

Addamus verbis Sancti Doctoris: ut aliquàdò tandem de inimicis Crucis, Crucis amatores efficiamur.

2 Lucæ 9. 23. Si quis uult post me venire abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidiè, & sequatur me.

Præcipitur primò, ut abnegemus nos. Nisi enim contradixerimus affectionibus inordinantis, nisi voluntati propriæ contradixerimus, neque Crucem tollere, neque quotidiè tollere, neque Dominum sequi poterimus. Ergo nobis vim forti animo inferamus, corpori jugum excutienti obuiam eamus, desideria non solum noxia, sed inutilia resecemus, & prò viribus contradicamus voluntati nostræ, quæ toties voluntati Domini contradixit. Durium multis videtur hoc verbum: Abnega

temetipsum: sed multò durius erit audire illud extremum verbum: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Thom. à Kemp. lib. 2. cap. 12. 1.

Præcipitur secundò, ut Crucem tollamus. Crux inevitabilis est. Si tollere detrectabimus, velimus, nolimus, ferenda est. Et sine ullo emolumento, imò summò cum detrimento ferenda est. Nam breve pondus crucis coactæ, mutabitur onere sempiterno; & miseriæ transeunti, nunquam transitura succedet. At si oblatæ cruci sponte humeros submittamus, quæ crux est, fiet Principatus insigne, & gloria Triumphantis. Sicut autem illam complectenti, non erit ignominiæ, sed honori: ità portantem non gravabit, sed allevabit, imò portantem se portabit.

Huc pertinet quod Diuus Augustinus docuit tom. 9. tract. 2. in Io: cap. 1. Ubi ostendit qua ratione crux vastum pelagus transituris de cruce fit navis. Cum enim considerasset, Deum esse veluti portum, illum felicissimum, & immobilem, quem omnes in votis habemus, & alios quidem videre portum à longe, alios non videre, omnes tamẽ æquali necessitate premi trãsfretandi pelagi interiacentis: Quid consilii ceperit Dominus, subjungit dicens -- Instituit lignum, quo mare transeamus. Nemo enim potest transire mare hujus seculi, nisi Christi Cruce portatus. Hanc crucem aliquandò complectitur, & infirmus oculus; & quià non videt longè quò

eat.

eat. non ab illa recedat, & ipsa illum perducet. Itaque fratres mei, hoc insinuaverim cordibus vestris: Si uultis piè, & Christianè vivere, adhærete Christo secundum id, quod prò nobis factus est: ut perveniatis ad eum secundum id, quod est, & secundum id, quod erat. Accessit, ut prò nobis hoc fieret: quià hoc prò nobis factus est, ubi portentur infirmi, & mare hujus sęculi transeant, & perueniant ad Patriam, ubi jam navi non opus erit, quià nullum mare transibitur. Melius est ergo non videre mente id quod est, & tamen à Christi Cruce non recedere, quam videre illud mente, & Christi Crucem contemnere. Bonum est super hoc, & optimum, si fieri potest, ut & videatur quò eundum sit, & teneatur quo portetur, qui pergit. Hoc potuerunt mentes magnæ montium; qui montes dicti sunt, quos maximè illustrat lumen Justitiæ: potuerunt, & viderunt illud, quod est. Nam videns Joannes dicebat: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Viderunt hoc, & ut pervenirent ad id, quod videbant de longè, à Cruce Christi non recesserunt, & humilitatem Christi non contempserunt. Paruuli ergo, qui hoc non possunt intelligere, non recedentes à Cruce, & à Passione, & à Resurrectione Christi, in ipsa navi perducuntur ad id, quod non vident, in qua navi perveniunt, & illi qui vident.

3 Antequam procedamus ulterius, liceat

ctat indicata ex Doctore Sanctissimo documenta, in ordinem digerere, iterumque sedula mente perpendere.

Documentum primum. Ille qui Exodi 3. 14. Moysi dixit: Ego sum, qui sum: est illud Bonum incommutabile, est ille finis indeficiens, ad quem omnes, tamquam ad beatissimam stationem, firmissimamque contendimus. Omnia mutabilia sunt, omnia, velut aquæ fluctuantis pelagi instabilia. Nulla firmitas inconcussa extrà illum, cujus nomen est: qui est. Quare ipse omnium navigantium Portus est, ipse Quies, ipse Vita beata, ipse communis, & sempiterna securitas est. Et quoniam non sibi soli locus est, & mundus, & omnia, ut ajebat Tertullianus: Sed hæc omnia est & sibi, & omnibus: propterea ipsum appellare possumus, & Patriam, quam inquirimes, Patriam omnium Electorum, Patriā semper manentem, & promissam illam, quam toties divinæ commemorant litteræ, terram lacte, & melle manantem. Hùc tendimus per casus innumeros, & hùc sine fine, laborisque intermissione tendendum est. Væ sivè non tendentibus, sive tendentibus, & non pervenientibus.

Documentum secundum. Aliqui divina luce perfusi vident à longè, quò pergant. Aliqui pauca de Deo, & valdè obscurè cognoscentes, se habent, ac si quò pergerent non viderent. Omnes tamen, sive docti, sive indocti, pervenire possunt, & portum intrare, si volunt. Quare nemo

triſtetur ſi parum in humanis diſciplinis; imò in Sanctorũ etiam ſapientia exercitatus, in corpore Eccleſiæ vicem oculi non ſuſtineat, ſed manus, vel pedis. Sorte ſua contentus delectetur magis velato uultu jacere ad pedes, quam uultum Altiſſimi intueri.

Documentum tertium. Ad Portum, qui unus eſt feliciter occupandum, uno Crucis navigio opus eſt. Non alio vaſtum mare traiicitur. Non alia puppi aut vitantur ſcopuli naufragiis infames, aut procellarum, ventorumque impetus ſuſtinetur. Neque refert utrum navigantes multa, vel exigua Cęli, aſtrorumque peritia polleant ad cognoſcendum quò, vel quà curſus ſit dirigendus, ad ſecurè per ſyrtes, & cæca ſaxa continenti applicandum. Noli de rate in ratem tranſcendere. Tene puppim, quam ſemel elegiſti, & portum, licet illum non videas, tenebis. Noli à Cruce recedere, & ipſa te quò tendis tutò perducet. Non recedamus à Chriſto, ſecundum id, quod prò nobis factus eſt: ut perveniamus ad eum, ſecundum id, quod eſt, & ſecundum id, quod erat à diebus æternitatis.

4 Documentum quartum ex eodem Auguſtino, loco citato. Quidam Philoſophi hujus mundi extiterunt, & inquiſierunt Creatorem per creaturam. Quià poteſt inveniri per creaturam evidenter, dicente Apoſtolo: Inviſibilia ejus à conſtitutione mundi, per ea quæ facta ſunt intel-

lecta

lecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, & Divinitas, ut sint inexcusabiles. Et sequitur. Quia cum cognovissent Deum; non dixit, quià non cognoverunt Deum: sed quià cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et undè obscuratum est? -- Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Viderunt enim, quo veniendum esset; sed ingrati ei, qui illis præstitit, quod viderunt, sibi voluerunt tribuere, quod viderunt.

Sed cur videntes, non pervenerunt ad id, quod videbant? quià ut subdit, Augustinus; noluerunt tenere humilitatem Christi, in qua navi pervenirent ad id, quod longè videre potuerunt, & sorduit eis Crux Christi. Mare transeundum est, & lignum contemnis? O' sapientia superba, irridens Crucifixum Christum. Ipse est, quem longè vidisti. -- Sed quare Crucifixus est? quià lignum tibi humilitatis ejus necessarium erat. Superbia enim tumueras, & longè ab illa patria projectus eras, & fluctibus hujus sæculi interrupta est via, & qua transeatur ad patriam, non est, nisi ligno porteris. Ingrate irrides eum, qui ad te venit, ut redeas? Ipse factus est via. Et hoc per mare. Indè in mari ambulavit, ut ostenderet in mari esse viam. Sed tu, qui quomodò ipse, ambulare in mari non potes: navi portare, ligno

gno portare. Crede in Crucifixum, & poteris pervenire. Hæc Augustinus.

Sed numquid ista superbia solum philosophos ethnicos obcęcavit? O' stultam sapientiam etiam illorum, quibus datum est in schola Christi versari, & multa nosse, & multa de Deo subtiliter disputare! Quantò hi sapiẽtibus Ethnicis inexcusabiliores! Vident quò, & quà tendendum sit. Sed superbissimis hominibus Crux Christi sordescit. Miseri! transeundum est mare. Et lignum contemnitis? Non videre Portum, & fluctibus absorberi, magna miseria est. Sed quantò luctuosius est, Portum aspicere, & perire? Et perire, quià navis illa displicuit, extrà quam certissimè pereundum est?

Alii alia navigia eligant, firmissimis compacta lateribus: Placeat aliis auratis puppibus navigare. Quid celsa, quid superba, quid auro tecta navigia proderunt perituris? Una Crux Christi nobis satis sit. Hæc una perducet, quò cęteri omnes irrito conatu feruntur.

5 Non solum præcipitur, ut crucem tollamus, sed ut quotidiè tollamus. Quotidiè siquidem pugnandum est, quotidiè malorum impetus ubique præter opinionem ocursantium excipiendi. Ad fortiter autem, quicquid ingruerit perferendum, tria potissimum recolantur.

Recolatur primo illud ex Sapientiæ 3. 5. In paucis vexati in multis benè disponentur; quoniam Deus tentavit eos, &

inve-

invenit illos dignos ſe. Bone Deus. Dignum Deo inveniri, quid eſt, & quantum boni eſt?

Recolatur ſecundò, quod dicitur 8. ad Rom. 18. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Tolerabis dura temporalia, inquit Auguſtinus in Pſalm.36. v. 24. Sed ad lętitiam pervenies ſempiternam. Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem. Nam & operarius in vinea deficeret, niſi attenderet quid accepturus eſſet. Cum autem attenderis, quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris. Miraberis tantum dari pro tanto labore. Nam utique prò eterna requie labor ęternus ſubeundus erat. Sed ſi æternum ſuſtineres laborem, quandò venires ad æternam felicitatem? Ità fit ut neceſſariò temporalis ſit tribulatio tua, qua finita venias ad felicitatem infinitam. -- Huc accedit, quià Deus non ſolum voluit temporalem laborem tuum, ſed etiam brevem. Paucorum dierum eſt tota vita hominis, etiāſi læta duris non miſcerentur: quæ plura, & longiora ſunt certè, quam dura, ut durare poſſimus. Si ergo per totam vitam ſuam homo in laboribus, & in ærumnis eſſet. -- Pauci dies ſunt, tota vita hominis: quo labore tranſacto, veniet Regnum ęternum, veniet ſine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorū, veniet hęreditas Chriſti, veniet cohæres Chriſtus. Prò quanto labore, quantam mercedem accipimus?

Veterani homines,qui laborãt in militia, & versantur inter vulnera, tot annos, incipiunt militare in juventute, exeunt senes, ut habeant paucos dies quietos senectutis suæ, quandò eos jam ipsa ætas incipit gravare, quos bella non gravant. Quanta, dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula: & non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies illos senectutis, ad quos utrum perveniant, nesciunt.

Recolatur tertiò, Ducis exemplum,: Multò plura, & graviora, quam nos patimur, ille passus est, & semper passus est, nè ullo quidem momento quieti concesso. Non queramur ergò si tollenda Crux est, & quotidiè tollenda. Si via prærupta est, si aspera, levamentum viæ, & omnis laboris est ille, qui preit.

6 Duo Latrones perditissimi de carcere educuntur, comitesque adduntur morte, turpissima condemnato, ut medius illorum incedens, tamquam latronum deterrimus haberetur.

Societatem, Bone JESU, latronum non exhorres, quià tu ille David es, ad quem conventuri erant omnes in angustia positi, & oppressi ære alieno, & amaro animo, ut fieres eorum Princeps. 1. Regum 22. 2.

Peccatores omnes ad te convenimus, ad extremam inopiam redacti, quia paterna domo relicta, omnem substantiam, quæ nobis contigerat dissolutè vivendo con-

sum-

ſumpſimus, Ad te venimus in anguſtias poſiti, quià cum multi mercenarii in domo Patris tui abundent panibus, nos fame perimus: & venimus oppreſſi ære alieno, quià nè prò unius quidem peccati debito ſolvendo ſumus: quantò minus ſolvendo ſumus, prò debitis innumeris, quæ omnibus diebus vitæ noſtræ contraximus. Ad te poſtremo confugimus amaro animo, quià ſi præterita conſideramus, amariſſimum nobis eſt, poſuiſſe amarum in dulce, & dulce in amarum. Si pręſentia attendimus, omni amaritudine replet nos præſens neceſſitas. Si futura, manet nos mors amariſſima.

Tu nihilominus, ſicuti latrones, ità non deſpicis peccatores longè nocentiores latronibus, qui te comitantur, & longè inhoneſtiores Nomini tuo. Non repellis tamen hujus generis comites, neque fieri noſter Princeps recuſas. Ità nè amantiſſime Domine tibi tuæ Dignitatis oblito, cordi ſumus? Et homines obſcuriſſimi generis ſocios Regni deſignas? Et Deus Exercituum pateris ſub tuis militare vexillis lixis, & calonibus viliores, & rapto vivere aſſuetis deſpicabiliores?

Quid ingrati animi argumentum Ducum Duci, Regumque Regi pręſtabimus? Fuimus inimici Crucis. Crucem erubuimus. Crucis amatores deriſimus, contempſimus, perſecuti ſumus. At in poſterum nihil erit nobis antiquius, quam Crux. Crucem ore, fronte, corde, hume-

merisque gestabimus. Gestabimus ore laudando fronte palam profitendo, & illius ignominiam nobis gloriæ ducendo. corde, totis illam viribus diligendo humeris, adversa omnia, atque durissima perferendo.

MEDITATIO VI.

De Manibus Domini vulneratis in Sepulchro jacentis.

1 ISaiæ 49.14, Dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.

Quid respondet Dominus animæ omni consolatione destitutæ? In hæc verba respondet. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.

Ut ostenderes Domine apud te memoriam nostri oblitterari non posse, dixisti: In manibus meis descripsi te. Sed si nos tantoperè diligis, nos utiq; etiam in corde, non in solis manibus descripsisti. Cur igitur potius manuum facis mentionem, quam cordis? An quià maximè actiuus est amor, & amor non est, si non è corde prosiliens per facta se prodat?

Ergo quis dabit capiti meo aquam, & ocu-

oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die, ac nocte miseriam meam? Si amor non est qui activus non est, quomodò ego amo amorem tuum, qui nihil ago? quomodò ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, & ex tota mente mea dilexi, ac diligo te, si nondum in manibus meis descripsi Te?

Ut ergo in animum meum inducam in manibus meis describere te, da primò, ut penitus intelligam illa verba ex Matth. 7. 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cęlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cęlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum.

Da secundo: Ut Doctrina tua benè perspecta, ab illorum me numero totis viribus segregem, qui dicunt, & non faciunt.

Da tertio: Ut non solùm agam, sed multa, & multùm patiar prò te. Quoniam hę manus, quibus tot, ac tanta egisti prò me, ità crudeliter vulneratæ declarant, quid, & quantum passus fueris prò me, & à me.

2 Sed quęnam est Domine ista descriptio, qua in manibus tuis descripsisti me? Numquid hęc vulnera sunt caracteres, quos clavorum stylo duxisti, & sanguine tuo colorasti? Sed ego, non tu in manibus tuis descripsi mè, insanientem contra te. Ego stylo ferreo notas istas incidi. Ego scripturam exaravi scriptor infelix ad perpetuam memoriam furoris mei. An etiam ad memoriam perpetuam Amoris tui? Quoniam enim

enim furore meo famulante Amori tuo, per manus meas in manibus tuis descripsisti me; ideò erunt hi caracteres perenne monimentum furoris mei, & Amoris tui. Furoris mei, quia eum alijs peccatoribus insurrexi in te, & occidi te. Amoris tui, quoniam oblatus es, quia ipse voluisti, & his vulneribus vulneratus es, quià in domo eorum, qui diligebant te, vel certè debant diligere, vulnerari voluisti.

Et quoniam in manibus tuis, per manus meas descipsisti me; utinam hi caracteres non sint argumentum solius furoris, sed sint perenne monimentum furoris mei in amorem conversi.

Tu Domine Deus meus omnia potes. Et omnia potest Amor tuus. Efficiat ergo Amor tuus, ut ex istis vulneribus oriatur amormeus, ità ut tantum diligam, quantum oderim, imò diligam, magis. quam oderim. Si enim ratio cur oderim, Ego fui, & omne bonum, quod amore mei dilexi: cur non possum, ac debeo magis diligere te, quam omnia bona dilexerim proprer me; cum neque bonis omnibus, quæ dilexi, neque mihi propter quem dilexi, insit ulla ratio, nisi vel detestandi, vel certè frigidissimè diligendi: tibi verò omnia vera bona complectenti non insit nisi planè ineffabilis, nullisque comprehensa finibus ratio diligendi.

Si hoc egeris, notæ istæ, quas te volente nimis altè Peccatorum furor impressit, erunt immortale monumentum, prius qui-

dem Amoris tui, deindè furoris nostri. Postremò furoris virtute vulnerum tuorum in amorem conversi.

3 D. Aug. tom. 9. lib. Soliloq: cap. 2. Manus tuæ fecerunt me,& plasmaverunt me. Manus inquam illę, quæ affixę clavis sunt prò me. Opus manuum tuarum, Domine, ne despicias. Vulnera manuum tuarum nè despicias. Vulnera manuum tuarum, precor, ut aspicias. Ecce in manibus tuis, Domine Deus descripsisti me. Lege ipsam scripturam, & salva me. Hæc S. Doctor.

Sed quid inter cætera leget Dominus, legens scripturam suam? Leget illud, quod scripsit Apostolus ad Colossenses 2. 13. dicens: Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus uos erat chyrographum Decreti, quod erat contrarium vobis, & ipsum tullit de medio affigens illud Cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

Scriptura ergo in manibus Domini exarata, continet deletionem, sive abrogationem antiqui Chyrographi: quod erat contrarium nobis: continet delicta condonata; continet expoliationem principatuum, & potestatum nobis adversantium: continet nomina Electorum de morte ad vitam translatorum: continet novum chyrographum, se habens per modum Testamenti ir-

irrevocabilis,quo bonorum omnium Testatoris declaramur hæredes. Et ideò, ut vim suam obtineat Testamentum.Testator mortuus est, ut Apostolus ad Heb. 9. 16. affirmat ijs verbis: Ubi Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.

Si hæc omnia continet Scriptura manuum, in quibus sunt sortes omnium, quam rectè D. Aug. dixit: Lege Domine scripturam tuam, & salva me

Rursum si tanta nos dilectione dilexit, novorum Institutor hæredum, ut ad vim conferēdam Testamento manuum suarum, mori voluerit: qua fiducia rogare debemus cum Augustino, ut legat scripturam, quam stylo ferreo durorum opera Amanuensium in suis manibus exaravit, & quam, ut irrevocabilem faceret, more Testatorum morte sua confirmavit?

4 Psalm. 101. 26. Initio tu terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cęli.

Sine labore manus tuæ Domine terram fundaverunt, & cœlum, sicut pellem in morem tabernaculi extenderunt, & fabricatæ sunt Auroram, & Solem. Sed non sine labore hominem de limo terræ formatum, & super omnia opera manuum tuarum cōstitutum reformarunt. Quantum laboraveris, quantum restituendo operi insudaveris,manus hæ crudeli ferro trajectæ declarant. Sed antequam vulnera ista inferremus,

mus, quid non fecimus? Servire te fecimus in peccatis nostris. Præbuimus tibi laborem in iniquitatibus nostris. Isaiæ 43.24.

Et opus hoc, tanta olim industria, tanto consilio ad tui vultus imaginem elaboratum, & consumatum, postquam ab Authore suo defecit, & in Authorem suum contumax caput erexit, non perdere, sed restituere voluisti.

Vide Anima mea primò quid hæ manus omnipotentes fecerunt prò te, sine labore, ut sine labore in operibus suis Dominum tuum agnosceres, & amares, & in illo conquiesceres.

Vide secundò, Quid fecerint tanto cum labore, ut errantem revocarent, jacentem erigerent, & nimium laborantem ad summam quietem reducerent.

Vide tertio, Quid ipsa feceris prò illo, qui te fecit, & qui prò te fecit, quęcumq; fecit, & pertulit, ut refectam, & in melius restitutam, ratione longè perfectiori, quam anteà cōstitueret super omnia opera manuum suarum.

5 Iob. 14. 15. Vocabis me, & ego respondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram.

Si operi manuum tuarum tuis vocibus respondenti porrigis dexteram, quomodò porriges mihi, qui nunquam respondi, & adhuc respondere detrecto vocanti? Vocem audivi, vocem audio, acutissime ferientem aures cordis mei: & sicut obmutui, ità obmutesco, & jaceo in tenebris, & um-

umbra mortis, & in pulvere, & vermibus, & putredine computresco.

A' multo jam tempore in interritu meo ridere debueras, & subsānare me timentem à facie calamitatis ingruentis, quià toties vocasti me, & renui: extendisti manum tuam, & non aspexi, & increpationes tuas, & consilium omne despexi.

Quod tanta Benignitate dignum omni supplicio cumulas beneficijs, quod iterum vocas, socium eorum, de quibus dixisti: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam; manè consurgent, & non invenient me. Prouerb. 1. 18. Quod iterum manum extendas, ut eruas me de profundo lacu peccatorum meorum, gratias ago. Quod prò tot beneficiis peccata rependerim, & rependam, vehementissimè doleo; & linguæ meæ beneficentiam tuam laudibus efferre desideranti, sed neque scienti, neque potenti; substituo lacrymas oculorum, ut lingua tacente, pupillæ non taceranr, lugentes me, & respicientes ad te.

Sed antequam aliò convertam animum, libet interrogare Dominum meum, quid sit acturus, si dexteram operibus manuum suarum porrigere solitus, mihi quoq; porrexerit.

Vide primò, Bone IESU, antequam mihi dexteram porrigas ubi jaceam. Nullus peccatorum locus, meo profuudior est. Alij profundè peccaverunt. Oseæ 9. 9. Egò profundissimè. Numquid celsissimam dexteram vis demittere, non in profundis-

ſimum infernum, ſed in profunditatem, peccatorum meorum, omni profundiorem inferno?

Vide ſecundò manus meas. Leproſæ, ulceroſæ, ſcatentes vermibus ſunt, ſanieque ſtillantes. Numquid manus has tangere non refugient manus tuæ tornatiles aureę plenę hyacintis, Manus, quæ fabricatæ ſunt Aurorem, & Solem?

Vide tertio, Quid tu feceris, quid ego fecerim. Quid tu feceris prò me, quid ego fecerim adverſum te. Tu me vocaſti in admirabile Lumen tuum. Ego magis dilexi tenebras meas, quam lumen, quo illuminaſti me, ut in lumine tuo viderem lumen, quod eſt ſuper omne lumen. Tu fatigatus ex itinere, ſediſti ad Fontem Miſericordiæ tuæ, ut dares mihi aquam vivam, quam qui bibit, non ſitiet in æternum. Ego vias difficiles ambulavi, & in via iniquitatis laſſatus ſum, ut aquam biberem de ciſternis diſſipatis, neque aquas continere valentibus. Tu ad me ſanandum, carnem aſſumens, uſque ad ægrotantis lectum deſcendiſti, ut inquit ſervus tuus Auguſtinus: Ego Medicum in furorem verſus occidi. Et huic operi manuum tuarum porriges dexteram ad me allevandum? Imò vtraſque manus, quas ego cruci ſuffixi; ad me complexandum extendes? Bone IESU! Quid hoc rei eſt? Quoniam magnitudini dilectionis tuę non eſt finis, da ut nunquam harum manuum obliviſcar. Da ut lavem inter innocentes manus meas; & choris te-

ca-

canentium immixtus, circumdem Altare tuum. & audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua. Psalm. 25. 6. Da ut dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. (Explicatio pulcherrimi hujus versiculi peti potest ex Bellarm. in Psalm. 140. 2.)

6 Psalm. 18. v. 1. Cęli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum.

Non solum cœli visibiles, & intellectus expertes, sed etiam invisibiles, & præditi intellectu opera sunt manuum, quas exangues, & ità barbarè confossas aspicimus. Neque solum harum opera manuum sunt cœli angelici, sed humani: cęli videlicet de perditis reparati; de redactis in nihilum per peccatum, ad nouum esse per gratiam sanctificantem evocati, & de corruptis ad statum incorruptibilitatis evecti.

Si cęli mente, & lingua destituti, ità facundè gloriam Dei enarrant, si firmamentum tot linguis, quot syderibus suum commendat Artificem; si prętereà cęli multò sublimiores: Spiritus videlicet immortales, cæteriq; socij spirituum Immortalium longè clariori voce, uberioriq; laudationis genere celebrant Authorem suum, quid nobis agendum? Numquid cęlo, terraque divinis laudibus personante silebimus?

Ergò & nos enarremus gloriam Dei, annunciemus opera manuum ejus, annunciemus verbis, annunciemus operibus, an-

nunciemus lingua, annunciemus vita opera, quæ manus hæ, non solum Omnipotentia sua, sed laboribus, sed vulneribus suis, & sanguine perfecerunt. Annunciemus præcipuè opera Sanctorum Apostolorum, omniumq; Sanctorum, qui rectissime comparantur cęlis, ut advertit Bellarminus in psalm. 28.4. quod elevati à terra per contemplationem, ampli per charitatem, splendidi per sapientiam, semper sereni per animi tranquillitatem, celerrimè moti ab intelligentia per obedientiam, pluentes per instructionem, tonantes per objurgationem, fulgurantes per miracula, multa bona terris largientes, & nihil ab eis quærentes per veram liberalitatem, purissimi ab omni sorde per vitæ sanctitatem, denique Habitaculum Summi Regis per Iustitiam perfectam sint. Nam Anima Iusti sedes est Sapientiæ.

Multitudinem, magnitudinem, pulchritudinem horum operum suspicientes, laudemus Dominum in operibus suis. Et meminerimus, quod opera pręstantissima, sunt harum opera manuum, quæ nostra vincula diruperunt, & quas nos in vincula conjecimus. Sunt opera manuum, quę nostra vulnera sanaverunt, & quas nos vulneravimus. Sunt denique opera manuum, quę nihil intentatum reliquerunt, ut lacrymas ab oculis nostris abstergerent; & quas cruci affixas, ad mortem vsque, sanguine pretioso manare coegimus.

Manus beatissimæ, quas lacrymas nostris ab-

abstergere vultibus peroptastis, nunc suffi-cite. Nullis abundantiores aquę cõveniunt, quam ista siccis oculis commemorantibus. Virga potentiæ vestræ percutite perram duriſſimam animorum nostrorum, percusſoque de scilice, largiſſimas aquas eijcite. Sic opera vestra erunt, non solum aquę omnes, quæ super cęlos sunt, sed etiam quæ ope vestra de nostris cordibus exundabunt.

MEDITATIO VII.

De Assumptione Divinæ Parentis.

1 GLoriosam gloriosiſſimæ Reginæ Resurrectionem, & Assumptionem mors gloriosa præcessit. Ex Provincijs omnibus Apostoli, multique ex Discipulis, Sanctique non pauci, partim instinctu divino, partim angelico ministerio Hierosolymam adducti sunt, ut è terris decessuræ præstò essent, & vltima verba morientis, & monita salutis exciperent.

Adsunt è Cœlo Angelici Chori. Adest Rex Filius dicens. Veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon; de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.

De Libano, hoc est de candido monte

ob nives,& simul odorato ex abundantia thuris, vocaris Parens amplissima,quę candore Innocentiæ, & sanctorum operum suaveolentia,longè,lateq; diffusa,montium omnium odores excedis, & nives.

Vocaris de capite Amana, hoc est de fastigio Fidei,& veritatis; Amana enim idem est ac Fides, seu Veritas. Nulla verò præstantior Magistra Fidei, ac Veritatis, quam tu, quæ omnes hęreses interemisti. Vocaris de vertice Sanir, & Hermon, hoc est de superbis montibus superstitionis profligatæ: Vocaris de montibus leonum, de cubilibus pardorum, hoc est impiorum,quos ad justitiam, & mansuetudinem informasti: & de pardis, atque leonibus in Agnos commutasti.

Ad istas voces inter filiorum tibi circumstantium lacrymas, cantusq; cęlituum, Anima fortnnata, illibato prodit è corpore; in amplexus evolat Filij, & in cęlum abducitur.

Si pretiosa in conspectu Domini,Sanctorum mors est, quam pretiosa fuit mors illius quę pretium Mundi peperit, Sanctumque Sanctorum? & quæ nobis pariendo Viam, Veritatem, & Vitam, in uno peperit omnes, quorum futura erat mors pretiosissima, & vita felicissima?

Salve parens amabilis, salve dulcedo, Vita, & Spes nostra, Salve Ne obliviscaris, quos in hac lacrymarum valle destituis. Fac de tuis nivibus candidos. Fac de tua fragrantia suaveolentes. Illumina Fide, il-

lu-

lumina splendoribus Veritatis. Mentis arrogantiam,& fastum amove. Pardorum feritatem, & leonum in mansuetudinem verte. Per vitam denique, mortemque tuam pretiosissimam, vitam impetra clientibus tuis, qualis requiritur, ut moriatur Anima nostra morte justorum.

2 Corpus incontaminatum per manus Apostolorum sepulturæ traditur; Anima super omnes Angelorum choros exaltata, plausus, & obsequia excipit adorantium. Sed quoniam separationem sublimis Animæ, corporisq; virginei diuturniorem esse non decebat; non multò post mortis, peccatique triumphatrix Anima repetit corpus suum, vegetat, movet, illuminat, donatque Deo donante cæteris dotibus corporum beatorum.

Si dotes cõmunicatę respondent excellentiæ Principij communcantis, qua luminis claritate corpus resplenduit, qua pulchritudine donatum est, cujus Anima superat lucem sapientiæ, eminentemq; justitiæ decorem, totius Ecclesię, sive militantis, sive triumphantis?

Qua subtilitate, & agilitate fuit instructum, cujus Anima fuit præ cæteris subtilissima in vestigandis, ac deprehendendis divinæ Sapientiæ sacramentis; & celerrima ad omnem divinæ Voluntatis nutum executioni mandandum?

Postremò quam perfectè positum fuit extrà omnem aleam passibilitatis, cujus Anima fuit expers omnis perturbationis, om-

nis mutationis, omnis impugnationis ab hostibus invisibilibus, à bonorum fugacium illecebris, à cupiditatibus, à peccato? Vicit enim peccatum ab ipso conceptionis initio, caputque contrivit antiqui serpentis.

Utinam filij magnæ Parentis, omniumque Magistræ virtutum premant prò sua tenuitate vestigia. Sit nobis cordi sapientia Sanctorum. Loricam justitiæ induamus. Nulla macula quantum fieri potest inficiat lucem sapientię, decoremque justitiæ. Simplici, humilique corde incerta, & occulta Divinitatis arcana contemplemur, non scrutatores elati, sed miratores obsequiosi, ne Majestatis Gloria opprimamur. Ad omnem divinæ Voluntatis nutum agiles feramur quocumq; vel subobscuræ vocis indicio agimur.

Denique ità humani Generis hosti, ità mundo, ità nobis reluctemur, ut victis omnibus, perfectè nobis, & omnibus dominemur, donec felici morte positi extrà omnis perturbationis aleam, atque periculi, perfecta pace potiamur, redivivum corpus repetituri, ac renovatum, quandò omnia in occasu mundi renovabuntur.

Sicuti Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur: ità non dominetur tibi Domina cęli, & terræ: ità non dominetur ijs, quos vox omnipotens reseratis tumulis excitabit, Filio tuo, tibique conformes futuros in perpetuas æternitates.

Re-

3 Reginam aſcendentem illæ voces circumſonant: quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum cant.8.5. Mundo major deſcendit in mundi hujuſce deſertum, quando concepta eſt, quandò in lucem edita eſt, noſtram illuminatura noctem, ſuumq; horrorem ademptura deſerto.

Deſcendit infrà deſertum quando ad infima ſe queque demiſit; quandò in ſpiritu, & veritate ad peccatorum ſe pedes abjecit reſtitantes ad pęnitentiam invitans: quis enim conjectura aſſequi poſſit, qua charitate illos ſemper complexa fuerit, quot preces prò illorum ſalute fuderit, quo dolore peccata defleverit, quot lacrymis duritiam flectere, & emollire tentaverit?

Aſcendit per deſertum de virtute in virtutem progrediens, ſuperanſq; montes omnes celſiſſimæ ſanctitatis.

Aſcendit ſuprà deſertum primò quidem nihili faciens omnia terrena. Deindè dum adhuc eſſet mortalis, omnes urbes, provincias, & regna protegens, gubernans, pacificans, benedictionibus replens.

Aſcendit denique de deſerto, mutans lacrymarum vallem in paradiſum voluptatis, & locum exilij in Regni ſedem, omnes illi portas attollentem, & omnes in occurſum cives effundentem, & cęleſtium orbium concentum geminantem, ad Reginæ laudes ſolemniùs celebrandas. Sphæras omnes felici curſu tranſcende Auguſtiſſima Parens,& ubique relinque ſigna lætitiæ,

tantiq; veſtigia Triumphi, nulla oblivione delenda, omnibuſque viſenda, qui te Duce, te Auſpice per deſertum incedent progredientes de virtute in virtutem, ad normam ſibi propoſiti exemplaris: & ſuprà deſertum per omnium rerum deſpicientiam evehentur: E deſerto denique felici migratione decedent, luſtraturi vias luciduſſimas, quas luſtraſti: ingreſſuti Civitatem quam omnes tibi Portas reſerantem intraſti: tecumq; ubi regnas perpetuò regnaturi. Non regnet, Regina potentiſſima, peccatum in corpore noſtro, ſed ſanctitas, ut participes ſanctitatis, regni quoque poſſimus eſſe conſortes.

4 Aſcendis autem lugentium Conſolatrix, deliciis affluens, quià ſecundum multitudinem dolorum tuorum in Corde tuo conſolationes tuæ lætificaverunt Animam tuam. Pſalm. 93. 19.

Si ſermo ſit de doloribus, quis excepto Filio tuo, acerbius doluit, quam tu? Ab initio uſque ad finem vitæ ſanctiſſimæ, amariſſimè doluiſti de peccatis totius mundi; & de peccatis meis. Et quantò magis à primis annis ſapientia, & ætate creſcebas, & gratia, apud Deum, & homines, tantò magis cum Amore creſcebat dolor de injurijs, quæ Deo unicè dilecto irrogabantur; & de tot animarum interitu, quibus irreparabili excidio perituris, tot incaſſum remedia impendebantur.

A' Verbi verò exinanitione in uterò tuo concepti, quam acutus gladius præſciam fu-

uturorum Animam pertransivit, dum sivè lie, sivè nocte versares animo, quæ Filio lilectissimo impendebant? In momenta ingula renovabatur vulnus gladij animam ransverberantis, donec in vulnus unum nnumeris vicibus repetitum, omnia Filii le cruce pendentis vulnera cojerunt.

Quibus ergo nunc delicijs affluens ascen lis. si secundum multitudinem dolorum uorum, Animam tuam cõsolationum mul itudo lætificat? Delicijs fruere, quas nec culus vidit, nec auris audivit, nec ipsa nens sublimium intelligentiarum assequi otuit. Fruamur & nos delicijs tuis, tibi ue gaudeamus, & nobis. Guadeamus tibi, uià hyems jam transijt, imber abijt, & re essit. Flores, imò & flores, & fructus, ap aruerunt in terra, quæ nobis Frumentum eperit electorum, & Vinum germinans irgines. Gaudeamus tibi; quia doloribus am finitis. nunquam finiendæ successere leliciç. Gaudeamus, & nobis, quia bona ua nostra sunt; quià quantò nos dolore onfecerunt dolores tui, tanto nos gaudio leliciæ tuæ perfundunt; & quià quà nobis undum sit, cursu tuo demonstras. Si & nos le quibus tantoperè doluisti, dolebimus; i familiare, & amarum doloris nostri argu nentum erunt nostra, totiusq; mundi pec ata: Et si dolor iste acerbissimè recrude cet, ad jugem considerationem Regis do orum, vulnerati propter iniquitates no tras, attriti propter scelera nostra: de ple itudine gaudiorum, de qua ipsa nunc ac-

ci-

cipis accipiemus, & inenarrabilibus tecum delicijs affluemus, quando, patrocinio tuo aspirante, de corpore mortis hujus liberabimur, & qua nos Filius tuus donavit, libertate donabimur.

5 Ascendis denique innixa super Dilectum tuum. Nihil unquam aggressa fuisti; nihil cogitasti, dixisti, voluisti, peregisti, nisi uni Deo innixa; ideò tam sublime sanctitatis attigisti fastigium; & ideò nunc ad tantam gloriæ celsitudinem eveheris, innixa super Dilectum tuum.

Felix progredere, & quò nullus eniti potuit, enitere, illo tibi dexteram porrigente, imò brachium cõmodante, qui exinanitus in utero tuo in formam servi, fecit potentiam in Brachio suo. Quantò humilior descendisti, tantò sublimior ascende, illo te fulciente, cui nihil antiquiùs est, quam superbos mente cordis sui dispergere, & potentes de sede sua deponere, & humiles exaltare.

Dum ità Filio tuo subnixa conscendis, nostris mentibus illa profundè imprime verba: Maledictus homo, qui confidit in homine. Ierem. 17. 5. & illa: Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cum venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis, non erit sollicitum, nec aliquandò desinet facere fructum. Ierem. 17. 7.

Ab-

Absit à nobis, ut aliquid boni à nostris viribus expectemus. Non dixit Dominus Io: 15.5. Sine me parum potestis facere: dixit sine me nihil potestis facere. Quicquid igitur operis sive parvi, sive magni aggrediemur, urgebimus, perficiemus, totum uni Deo acceptum referemus. Nou innitemur prudentię nostrę. Non hominum consilijs, non patrocinio.

Memores erimus. D. Augustini in psalm. 31. coarguentis hominem sibi, non Deo, fidentem: Moucas licet in bonis operibu lacertos, & videaris nauim optimè gurbernare in saxa festinas.

Memores erimus D. Bernardi dicentis: Hec est vera hominis fiducia à se deficientis, & innitentis Domino suo. Hæc inquam vera fiducia, cui misericordia non denegatur, Prophæta attestante, quoniam beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis, qui sperant, super misericordia eius. -- In nobis quidem timoris, in ipso autem causa fiduciæ. Suavis, & mitis est, copiosæ Misericordiæ, præstabilis super malitia, multus ad ignoscendum. Serm. 3. in Annunc. Dominica.

Memores postremò erimus Isaiæ spem nostram accendentis ijs verbis: qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei, speret in Nomine Domini, & innitatur super Deum suum.

Sint viæ difficiles, præruptę, incognitæ, caligine involutæ: spem non abijciamus. Dominus Deus erit Auxiliator noster, donec

nec uni sibi fidentes traducat, quò Spes, Vita, & Dulcedo nostra super Dilectum suum innixa traducitur.

6 Cantic. 6.9. Quę est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa vt sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata?

Quodlibet comparationis membrum interpretatione multiplici abundat. Omissis, quę studium brevitatis cogit omittere, surgenti aurorę componeris beatissima Parens, quià sicut aurora est initium diei simul, & gaudij: Sic tu fuisti principium Lucis illius, de qua Lux ipsa loquens dixit: Ego sum Lux mundi. Io: 8. 12. Tu principium illius gaudij de quo, idem Dominus dixit: Io: 16.20. Tristitia vestra vertetur in gaudium, & num. 22. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Utinam te nobis affulgente aliam lucem, aliud gaudium non quæramus.

Post auroram pulchritudini lunę componeris, quià quicquid à sole hausisti luminis, totum ad noctem illuminandam contulisti, ut qui aliquandò fuimus tenebræ, jam non tenebræ, sed esse lux in Domino incipiamus Nulla tanti beneficij memoriam, nulla tui pulchitudinem vultus nostris impressam mentibus obliitterabit oblivio.

Diceris tertiò Electa ut sol, quià ità perfectè Iustitiæ Solem Filium tuum induisti, ut in ipsum commutata solem videaris. Idcircò juxtà solis ingenium oriri quotidiè

non

non definis super bonos, & malos, ut mali transformentur in bonos, & boni provehantur in optimos.

Describeris vltimò tamquam castrorum acies ordinata, ut intelligamus, quanta virtute polleas adversus omnes hostes visibiles, & Invisibiles. Quantò formosior tuis, tantò perduellibus terribilior. Sola mille Ducibus par es, imò longè præstantior. Sola robore tuo centena millia pugnatorum excedis. Esto igitur nobis instar Exercitus armati, adversus spiritualia nequitię in cęlestibus, adversus Principes, & Potestates tenebrarum harum, adversus machinamenta mundi, adversus cupiditatum illecebras, adversus omne peccatum.



HEBDO-

HEBDOMADÆ QVINTÆ,

Meditatio Prima.

De Sanctitate Domini in forma Dei.

1 APocalypſ. 3. 7. Et Angelo Philadelphię Ecclesię ſcribe: Hæc dicit Sanctus, & Verus.

Nominat ſe Filius Dei Sanctum ſimul, & Verum, ut intelligamus qua ſanctitate ſit ſanctus, & quam non ſolum ab Epiſcopo Philadelphiæ, verùm etiam à nobis poſtulet ſanctitatem. Qui prima Veritas eſt, non ſolum præditus eſt ſanctitate, quæ perfectiſſimè vera eſt, ſed quæ Veritas eſt. Conſubſtantialis Patri habet veritatem, habet ſanctitatem conſubſtantialem Veritati Paternæ, Paternæ ſanctitati. O' Veritatem ſanctiſſimam! O' veriſſimam ſanctitatem!

Tu verò N. peccator miſerabilis, qua fronte iſta conſideras? Tu ex illis, de quibus Propheta Pſalm. 4. 3. Filii hominum, uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Tu prò veritate vanitatis amator: Tu vanitas ipſa:

Tu

Tu concretus ex mendaciis totus quantus es, mente versas sanctitatem non fictam, non adscititiam, sed verissimam, sed quæ veritas est?

Quomodò ergò pervenies ad id, ad quod unicè conditus es, nempè ad clarum verissimæ sanctitatis intuitum, qui veritatem non facis, & in quo veritas non est? Si nunc desideras lumen clarissimum contemplari, simulationis genus omne depone. Hactenus exteriori solum quadam specie humilitatis, mortificationis, obedientiæ delectatus, voluisti potius videri, quam ësse. Depone virtutum larvam, depone. Pœnitentiam agè, & pęnitentia sit vera. Sapientiam quære, sed veram. Ad sanctitatem enitere, quæ sit, non quæ videatur. Sic dignè poteris cogitare de illo, qui apud Ioannem dicit de se ipso: Hęc dicit Sanctus, & Verus.

2 Apocalypſ. 4. 8. Et quattuor Animalia singula eorum habebant alas senas, & in circuitu, & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.

Qui erat à diebus æternitatis in sinu Patris: & qui immutabiliter est, quià nomen illius est: Qui est: cum sit Deus de Deo, Deus verus de Deo vero: & qui à mundi constitutione sub hamana specie venturus erat in mundum: & in occasu mundi venturus est Iudex vivorum, & mortuorum, di-

dicitur Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dicitur ter Sanctus, quià Sanctus est Sanctitate Patris; nam ipse in Patre, & Pater in ipso est. Sanctus est Sanctitate sua, quià sua Sanctitas est. Sanctus est Sanctitate Spiritus Sancti, quià sicuti Pater, ità Spiritus Sanctus in ipso est: & ipse in Spiritu Sancto est, cui se cum Patre, communicat cõmunicatione ineffabili, & solum conveniente illi esse, quod infinitè potens est, infinitè sapiens est, infinitè sanctum est.

Et quoniam summè potens, & sapiens, & sanctus ubique est, qua ratione peccatores contumacissimi summè Sancti Potentiam non reformidant, Potentiam ubique regnantem, & continentem omnia, ne sibi relicta deficiant, & valentem ipsos, & omnia simplici nutu delere? Qua ratione ejusdem Sapientiam non verentur omnia illorum dicta, facta, cogitata intuentem? Rursum, quomodò tantam proterviam patitur, tantamque impudentiam infinitè Potens, & Sapiens? An quià ter Sanctus est?

Ità planè est dementissimi Peccatores. In ipso vivimus, & movemur, & sumus, & dissimillimi sumus. Et ille Lux est, nos autem tenebræ. Et ille candor incontaminatissimus est. Nos autem maculę, sordes, & lutum. Et ità dissimiles non aversatur. Non repellit. Sed patienter dissimulat peccata hominum propter pęnitentiam. Sed cum adhuc inimici simus diligit nos dilectione misericordiæ suæ. Quid

plu-

plura? Ille eſt, qui dicit: Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. O' Sanctitatem! O' Charitatem! O' peccatores ad tantæ Charitatis incendium adhuc algentes! Circũſtat nos undique ignis immenſus. Ignis Omnipotens. A dextris, & à ſiniſtris, ſuprà nos, infrà nos, intrà nos eſt. In ipſo vivimus, & movemur, & ſumus. Et illius Pręſentiam, Potentiam, Sapientiam non reveremur. Et lucem non videmus. Et flammas non ſentimus. Et magis tenebras diligentes, quam lucem de ipſo non vivimus. Et ambulantes vias difficiles, ad ipſum non movemur. & nobis, & bonis caducis inhærentes, neque ſumus in ipſo, neque ipſe in nobis eſt.

3 Intelligentiæ ſub ſpecie quattuor animalium loco citato Apocalypſ. Sanctitatis eminentiſſimæ contemplatrices intus, & in circuitu erant oculatæ, ſenas habebant alas, & requiem non habebant die ac nocte clamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Erant plenæ oculis ad videndum, ſenis alis inſtructæ advolandum, valida voce ad clamandum, Sanctumque Sanctorum laudandum.

Si Animæ noſtræ intus, & in circuitu plenæ oculis non ſunt, ſicuti Intelligentiæ; utinam ſaltem perſpicaciorem mentis acië ſortirentur: ut quam illę ſanctitatem innumeris oculatæ luminibus intuentur, nos aliquantò clariùs attingeremus.

Cognoſcimus beatæ mentes, quod cognoſcitis, nos quidem obſcurè, vos clarè: & co-

& cognoſcimus, quod adhuc viatrices, per ęnigmata cognoviſtis. Et hæc inter tot ęrumnas vitæ præſentis nō eſt pars infima noſtræ felicitatis. Verùm quantum à veſtra cognitione etiam per ęnigmata diſcrepat noſtra cognitio? Non hoc tamen dolemus, ſed veſtros vobis oculos, oculorumque aciem gratulamur. Illud dolemus, quod non amavimus, quod amaſtis: neque laudavimus, quod laudaſtis. Illud dolemus, quod ad primam cognitionem Sanctitatis, Sanctique Sanctorum, in e us laudes ora ſolviſtis, & ſenas alas explicuiſtis ad parendum, ad divinæ Gloriæ cooperandum, ad volandum, quocumque divino Spiritu ferebamini: Nos verò ad primum ineuntis rationis uſum, ad primum primæ Veritatis, & Sanctitatis aſpectum ſine voce obmutuimus: Sine volatu in ſummo torpore jacuimus; elingues ad laudandum, inertes ad parendum, impigri ad vitia, deſides ad virtutem.

Ergò ad reparanda vitæ præteritæ detrimenta ſapientiam rudibus impetrate, ut noſſe diſcamus, quod non cognovimus. Infantibus fandi copiam ſufficite, ut vobis perpetuò laudantibus Sanctum in omnibus operibus ſuis, nos quoque laudare poſſimus. Pigros, altoque torpentes otio veſtris pennis inſtruite, ut veſtræ obedientię, ac celeritatis in agendo imitatores faciamus verbum illius ad audiendam vocem ſermonum ejus, ſicuti vos feciſtis, & faci-

cistis, Regio Vate testante. Psalm. 122. 20.

4 Sapientia, ut habetur Sapientiæ 7. 25. -- Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera; & ideò nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim, Lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Majestatis. & imago Bonitatis illius.

Quoniam Sapientia Patris est emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sinceræ, nihil inquinatum in eam incurrit. Si lucem corpoream non solum cœlestia corpora illuminantem, sed etiam terras, sed etiam loca sordida, lutulenta, inhumatis cadaveribus obsita, sanie, taboque manantia nihil, nè tenui quidem macula inficit, ac dehonestat: quantò minus aliquid inquinamenti potest aspergi Luci incorporeæ divinæ Sapientiæ, omnia perlustrantis, & ubique propter suam munditiam attingentis? Hoc enim est lucis ingenium, & illius potissimum, in qua tenebræ non sunt ullæ, super inquinatissima quęque diffundi, & nullum indè referre suæ munditiæ dispendium.

De Lucis hujusce plenitudine, quantum pro nostra conditione licet, accipiamus, ut qui tot inter sordes versamur, nihil indè sordium contrahamus. Bone Deus! quæ non audire, quæ non videre non possumus? Totus mundus in maligno positus est 1. Ioannis 5. 19. Omnis caro corrupit viam suam. Genes. 6. 12. Sensus, & cogitatio humani cordis in malũ prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8. 21. In medio na-

tionis pravæ, & perversę incolę sumus, & quocumque nos vertimus, Domine Deus, nostris oculis obtruduntur omnes abominationes, quas te revelante vidit Ezechiel in Sanctuario tuo. Nam in ipso introitu portæ, quæ respicit ad aquilonem occurrit nobis Idolum zeli statutum ad provocandam indignationem tuam. Ingredientibus verò templum, ecce similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & universa idola domus Israel depicta in pariete in circuitu per totum. Et non septuaginta solùm, sed innumeri viri de senioribus domus Israel stantes antè picturas, & unusquisque habens thuribulum in manu sua. Numquid hic abominationum finis? Finis abominationis pessimæ, gradus est pejoris. Nam si per ostium portæ quod respicit ad aquilonem (quià nimirum charitas multorum extincta est) ecce ibi mulieres plangentes Adonidem. Sed quid ingressis atriū interius se nobis spectandum præbet? Ecce in ostio Domini inter vestibulum, & altare, non vigintiquinque, sed plurimi dorsa habentes contrà Templum Domini, & facies eorum ad orientem, adorantium ad ortum solis. Ezechiel. 8.

Inter istos degimus, iisdem menibus continemur, illos adire, errantes reducere, ad meliora consilia revocare cogimur. Quomodo tot periculis eruemur? Nam qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui cōmunicaverit superbo, induet superbiam. Ecclesiastici 13. 1.

Ergo

Ergo Lux clarissima illumina oculos nostros, ut nihil inquinatum in animos nostros incurrat, & in affectus voluntatis derivetur illa mundities, quæ sapientis intellectus propria est, etiam immundissima, mundissimè cogitantis.

5 Qui candor est Lucis æternæ, speculum est sine macula Dei Majestatis. Cur? quià est candor Lucis æternæ. Carens enim omni defectu intellectus, caret omni defectu voluntatis. Quoniam ergò candor Lucis æternæ, est infinitè sapiens, necessariò est infinitè sanctus, adeoque speculum sine macula Dei Majestatis. Rectè igitur dicitur speculum sine macula, quià Lux est, in qua tenebræ non sunt ullæ. Et ideò maculæ omnis est expers, quià nullam societatem potest habere cum tenebris.

Excludat igitur unusquisque ab intellectu suo tenebras, quas potest. Quantum enim intellectui lucis accedet, tãtum adiicietur innocentiæ, & sanctitatis voluntati. Quomodò autem illuminandus sit intellectus, docet Propheta Psalm. 33. 5. dicens: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.

Accedite nimirum primò per Fidem, & Pœnitentiam, & illuminamini per gratiam justificationis, inquit Bellarminus. Nam illuminatio divina, vitam spiritualem confert. Undè Apostolus ad Ephes. 5. 14. Surge qui dormis, & illuminabit te Christus. Et Io: 8. 12. dicitur. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen

vitæ. Accedite igitur securi, quià facies vestræ non confundentur repulsæ pudore. Nam Sol increatus accedentes per Pœnitentiam, & respicientes per Fidem, respiciet, & uultu suo serenissimo illuminabit.

Accedite secundò per meditationem mysteriorum Fidei. Dum enim veritates profundissimæ simul, & lucidissimæ attentiùs vestigantur, & inspiciuntur, intellectum semper majori luce perfundunt.

Accedite tertiò, per supremum genus orationis, quæ contemplatio dicitur. Per hanc enim ineffabilis Excellentiæ admirator, majori quadam serenitate disponitur, ad radios ęterni Solis excipiendos, ardentioremque charitatis ęstum concipiendũ, ad summum Bonum diligendum, moresq; divinos in se derivandos, juxtà illud: Estote perfecti, sicuti Pater vester cęlestis perfectus est.

6 Qui candor est Lucis æternæ, & speculum sine macula, idem est Paternæ Bonitatis, & Pulchritudinis imago pulcherrima.

Bellarm. in Psalm. 44. 5. -- Sicut corporum pulchritudo in proportione membrorum, & suavitate coloris, ità pulchritudo spiritualis consistit in justitia, quæ est proportio quædam, & sapientia, quæ splendet instar lucis, vel potiùs, ut sapiens loquitur, luci comparata invenitur prior. Illa igitur anima est pulcherrima, quę habet in voluntate justitiam, in intellectu sapientiam. Hęc Bellarminus.

Si

Si hæc ità se habent, quis infinitè Sapientis, & Iusti speciem formosissimam assequatur? Rursum, quis ejus Charitatem erga mundum, & unumquemque nostrum non summa admiratione defixus, omni obsequii, laudumque genere prosequatur? Cum enim solus propter infinitam Sapientiam, & Iustitiam, seu Sanctitatem sit figura substantiæ, & imago absolutissima suo prototypo coæterna, coæqualis, consubstantialis, vult, non solum Intelligentias, sed animas nostras, quantumlibet peccatrices, suæ participes pulchritudinis. Sicut enim ipse est imago Patris, nullatenus ab exemplari deficiens; ità non solum Angelos, sed homines, ad sui vultus similitudinem conditos, uult esse imagines, immenso quidem intervallo distantes, imagines tamen Bonitatis cujus ipse imago est numeris omnibus absoluta.

Agnosce igitur homo Charitatem Filii Dei. Agnosce dignitatem tuam. Filius Dei voluit dici, & esse Filius hominis: ut homo qui libet efficeretur Filius Dei. Voluit in assumpta mortalitate omnis expers pulchritudinis apparere, juxtà illud: Nō est ei species, neque decor: ut homo in antiquam imaginem reformatus fieret divinæ consors naturæ, suumque referret exemplar.

Quid ergò tibi agendum est homo ex miserrimo felicissimus? Enitere, quò te vocat divini Amoris magnitudo. Exue vilitatem tuam. Exue teipsum; & quan-

tum licet, Deum indue, ſapientia, & ſanctitate. Nam in utroque ſita eſt divinæ imaginis pulchritudo.

MEDITATIO II.

Quo ſemper honore Filius Dei ſit proſecutus Humilitatem, & Obedientiam.

1 QVoniam Filius Dei non poterat in ſe ipſo, aut humiliari, aut alienæ voluntati parere, infinita Sapientia ſua rationem excogitavit, qua & poſſet imperata facere, & veriſſima ſibi cognitione vileſcere. Formam enim ſervi accipiens, non ſolum ſe paterno ſubiecit imperio, ſed humano: neque ſolum inter homines vilis factus eſt, ſed vermis, ſed opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Tu verò N. peccator ſuperbiſſime pulvis, & cinis, quid ſuperbis, poſtquam Altiſſimus non ſolum caput aſperſit pulvere, & cinere, ſed factus eſt cinis, & pulvis, ut te tui pulveris admoneret, & obiecta nativi cineris recordatione ad ima deprimeret ſublimes oculos, faſtumque ſupercilii deteſtabilis?

Humiliavit ſe ipſum factus obediens uſque ad mortem, virtutem utramque conjungens, & utrique decorem concilians in ſe-

ſeipſo, ac de ſeipſo, ut geminæ virtutis admiratores, & amatores effecti neutram ab altera ſepararemus, & ut perfectæ humilitati comparandæ vires totas impendentes in rebus arduis, ac maximè duris parere fortiter diſceremus. Quantò enim quiſque humilior eſt, tantò eſt promptior, celerior, animique fortioris, ac veluti bellicoſioris, ad illas victorias reportandas, de quibus Spiritus Sanctus Prov. 21. 28. loquitur dicens: Vir obediens loquetur victorias.

2 Sed quantum humilitati, quantum obedientiæ tribuerit Filius Dei, etiam antequam in hunc mundum veniret, accuratius conſideremus.

Geneſ. 22. Abraham, & Iſaac pergebant pariter, & venerunt ad locum, quem oſtenderat Abrahamo Deus, in quo ædificavit Altare, & deſuper ligna compoſuit, cumque alligaſſet Filium ſuum, poſuit eum in altari, ſuper ſtuuem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum.

Cum autem prohibitus eſſet Abraham extendere manum in puerum, illi dicitur v. 16. Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quià feciſti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cęli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ: quià obediſti voci meę.

Tantæ humilitati, quæ se tam duro subjecit imperio; tantæ obedientiæ, quę manus paternas armavit ad filium unicum immolandum, quid promittitur? Promittitur benedictio planè mirabilis. Promittitur multiplicatio seminis super stellas Cęli, & super arenam, quæ est in littore maris. Triumphus promittitur de hostibus universis. Sed nulla sunt hæc. Promittitur desideratus cunctis gentibus, in quo nationes omnes erant benedicendæ. Promittitur lumen, decus, atque felicitas omnium sęculorum.

Audi peccator argentum appendens non in panibus, & laborem tuum non in saturitate. Si tibi cordi est divinæ Dexterę benedictio; si virtutum, bonorumque operum fęcundum germen, & propagatio; si hostium visibilium, & invisibilium expugnatio: denique si præ cęteris omnibus desideras, ut in corde tuo æternus lucifer oriatur, possisque dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus: Esto humilis, ęsto obediens.

Subiectio humilitatis subiiciet tibi omnia. Fortitudo obedientiæ in durissimis quibusque executioni mandandis, faciet te omnium hostium invisibilium triumphatorem. Et quoniam ex D. Augustino, omnia opera tua bona Filii tui sunt spirituales, utriusque virtutis humilitatis, & obedientiæ conjuncta perfectio, atque fecunditas cæterarum virtutum, pulchra faciet te prole parentem, donec oriatur in te.

tè, qui visitavit nos oriens ex alto.

Alludit Zacharias Lucæ 1. 78. ad illud Malachiæ 4. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ, & sanitas in pennis ejus, & ad illud Sapientiæ. 5. 6. Ergo erravimus à via veritatis, & Iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentię non est ortus nobis. Et Isaiæ 60. 1. Surge, illuminare Ierusalem, quià venit lumen tuum, & Gloria Domini super te orta est. Et ad illud Zacharię 3. 8 Ecce ego adducam seruum meum orientem. Et cap. 6. 12. Ecce Vir Oriens Nomen ejus.

Advertant autem studiosi humilitatis, & obedientiæ, non solum illum, cujus nomen est Oriens, oriri nobis, sed etiam in nobis oriri. Qui enim per viscera misericordiæ Dei nostri oritur nobis, per eadem viscera misericordiæ, hoc est per intimã, & ex imo cordis sinu, fundoque manantem misericordiam Dei nostri, ut explicat Cornelius à Lapide in primum Cap. Lucæ 78. oritur in nobis.

3. Tanta benevolentia, humiles, obedientesque complectitur Filius Dei, ut si fortè in hac vita deprimantur, & contemptui habeantur, peculiari illos honore afficiat, bonisque omnibus spiritualibus cumulet. Ideò D. Augustinus in Psalm. 30. circà finem hęc habet.

Quandò humiliantur, qui Deũ timent, si fortè in aliqua dignitate hujus seculi refulserunt, humiliati non ceciderunt, quià Deum de corde suo non excluserunt. Al-

titudo ipsorum Deus est. Humiliatus videbatur Iob perdita substantia sua, perditis Filiis, perditis quæ servabat, perditis quibus servabat, remansit sine hereditate, & quod est tristius sine herede. Remansit ad solam uxorem, non suam consolatricem, sed diaboli potius adiutricem. Humiliatus videbatur. Vide si miser factus est. Vide si non erat in abscondito uultus Dei. Nudus ait, exii de utero matris meę. Nudus revertar in terram. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ità factum est. Sit nomen Domini benedictum. Istæ geminæ laudes Dei, undè sunt? Videte foris pauperem, intus divitem. Istæ geminæ laudes Dei, non exirent de ejus ore nisi thesaurum haberet in corde. Qui divites esse vultis tales divitias concupiscite, quas nec in naufragio potestis amittere. Ergo tales, quandò humiliantur, nolite eos putare miseros. Erratis nescientes, quid intus habeant. Habent intus quo gaudeant. Interior est Dominator eorum; interior est Pastor, & Consolator ipsorum. Hæc Augustinus.

Ergo cur humiles inter homines, infortuniis humiliati ad tantam celsitudinem evehuntur? quià ipsorum altitudo Deus est. Cur obedientes patientissimi Regis exemplo, dicentesque inter ærumnas suas: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum: tanta gloria præfulgent; tanta felicitate potiuntur? quià intus

tus

tus habent unde lætentur; quià interior est Dominator eorum : Interior est Pastor, & Consolator ipsorum.

Vide N. peccator, quam vera in oculis tuis tibi humilitate vilescas, quoties internis, quoties externis humiliaris ęrumnis. Vide qua resignatione in adversis omnibus dicas: Pater Sancte non mea, sed tua voluntas fiat. Vide, quam verè dicere possis. Dominus dedit. Dominus abstulit. Non contradico sermonibus Sancti. Sit nomen Domini benedictum.

Si hac humilitate, si hac obedientia pręstas altitudo tua Deus est. Interior est Dominator animæ tuæ. Interior est Pastor, & Consolator tuus. Tu deiiceris, & ille te evehit ad se. Tu vocem ejus audis: & ille facit voluntatem tuam: juxta illud: Voluntatem timentium se faciet. Psalm. 144. 20.

4 Sapientia Patris, ut nobis humilitatem obedientiæ commendaret, fecit illam parentem sapientiæ. Ideò in illa verba: A mandatis tuis intellexi ex Psalm 118.— Aliud est, inquit Augustinus, mandata tua intellexi, Aliud est, à mandatis tuis intellexi. Nescio ergo quid aliud se significat intellexisse à mandatis Dei, quod est, quantum mihi videtur, faciendo mandata Dei, pervenisse se dicit, ad earum rerum intelligentiam, quas concupierat scire.

Ideò subiungit primò. -- Propter quod scriptum est: Concupisti sapientiam, serva mandata, & Dominus præbet illam tibi,

bi, ne quisquam præposterus antequam habeat humilitatem obedientiæ, velit ad altitudinem sapientiæ pervenire. Textus ex primò Ecclesiastici 33. citatus, ità se habet. Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit illam tibi.

Subiungit secundò. Audiat ergo: altiora te, nè quęsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris; sed quę pręcepit Dominus, illa cogita semper. Sic homo ad occultorum sapientiam pervenit per obedientiam mandatorum. Cum enim dixisset: Quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita; ideò addit, semper, quia, & custodienda est obedientia, ut percipiatur sapientia, & percepta sapientia, non est deserenda obedientia.

Subiungit tertiò. Propterea inquit, odio habui omnem viam iniquitatis. Necesse est enim ut oderit omnem iniquitatem amor justitiæ, quià tantò major est, quantò eum magis inflammat amplioris dulcedo sapientiæ, quæ prębetur ei, qui obtemperat Deo, & à mandatis ejus intelligit.

Quisquis ergò supremum donorum omnium Divini Spiritus Sapientiam desiderat, nunquam studere desinat, aut humilitati, aut obedientiæ. Gradus enim ad sapientiam est humilis obedientia, & obediens humilitas. Gradus autem ad illum, qui simul est sapientia Patris, & Amor: est sapientia, quam parit humilitas, & obedientia, & quam inseparabili nexu charitas comitatur.

5 Si-

5 Sicut humilem obedientiam fecit parentem sapientiæ, Sapientia Patris: ità Virtus Patris, per quam facta sunt omnia facit obedientiam cęterarum virtutum insitricem atque custodem. Enim vero D. teste Gregorio: Obędientia sola virtus est. quæ virtutes cęteras menti inserit, insertasque custodit.

Inserit primò. Fidem, insertamque custodit, quià ad captivandum intellectum in obsequium Fidei, valdè humilis obedientia requiritur. Intellectus enim suaptè natura superbus, detrectat credere, quæ non intelligit. At humilis obedientię studio sublime deprimit caput, & credit quicquid divina revelat Authoritas, pręcipitque credendum.

Inserit secundò, spem, & custodit, quià nulli plura, nulli majora sibi de Bonitate ineffabili pollicentur, quam qui humiliter, & impigrè imperara faciunt: juxtà illud ex Psalm. 113. 19. Qui timent Dominum speraverunt in Domino. Et illud ex Psal. 144. 20. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. Textum explicans Bellarminus, inquit. Voluntatem timentium se faciet, idest audita oratione præstabit, quod ipsi volunt. Sed addit timentium se, quià hoc justum est, ut Deus faciat voluntatem eorum, qui faciunt voluntatem ipsius.

Inserit tertiò, & custodit charitatem, primò quià à divina Beneficentia, Reginam

nam omnium virtutum, non sortimur, nisi volendo parere dicenti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Ad volendum autem parere, humilitate'd isponimur. Quare humilitas est dispositio ad obedientiam. Obedientia ad charitatem.

Deindè sicut humilis obedientia dispositivè concurrit ad primam charitatis acquisitionem, ità concurrit ad conservationem. Tandiù enim diligimus Deum propter ipsum, quandiù Pręcepto de diligendo Deo super omnia, paremus.

Denique concurrit ad conservationem simul, & incrementum, quià ad conservandum, augendumque thesaurum pretiosissimum magna gratia requiritur. Quandiù enim vivimus magnis periculis obnoxii sumus. Cum autem Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam: cumque obedientes, humilitate carere non possint, ideò per humilem obedientiam charitatem assequimur, custodimus, augemus, & augendo consummamus.

6 Quemadmodum theologicas, ità inferiores theologicis virtutes menti inferit, insertasque custodit obedientia.

Inserit primò Prudentiam. Licet enim sit virtus intellectualis, fungi tamen officio suo non potest, nisi mens veluti caliginosis perturbationum vaporibus libera, veritatis lumine perfundatur. Rursum inutiliter pręscribit quid sit agendum, vel non agendum, si voluntas directioni resistat. Obedientia verò utrumque removet impe-

pedimentum. Dum enim perturbationes subiicit rationi, & rationem subiicit Deo, mentem detersis vaporibus serenat, & voluntatem sicuti divino promptam reddit imperiò, ità reddit mobilem ad nutum prudentiæ dictantis, quid sit agendum, quid fugiendum.

Inserit secundò Justitiam. Nam virtus, quæ nulli uult præesse, & omnibus subesse, nulli potest injuriam irrogare. Quare humilis obedientia parens optima est, custosque justitiæ.

Inserit tertiò Fortitudinem. Hęc enim frustrà ad magna, & ardua subeunda impellit, si voluntas reluctetur. Non reluctatur autem, si consuevit magis obedire Deo, quam hominibus. Ideò fortiter Mattathias 1. Machab. 2. 19. magna voce respondit: Et si omnes gentes Regi Anthiocho obediunt, ut discedat unusquisque à servitute Legis Patrum suorum, & consentiat mandatis eius: Ego, & filii mei, & fratres mei obedimus Legi Patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus. Non est nobis utile relinquere legem, & justitias Dei. Non audiemus verba Regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata. Sic tres pueri magis obedientes Deo, quam Regi Caldeorum, missi sunt in fornacem ignis ardentis. Danielis 3.

De cęteris virtutibus idem esto judiciũ. Quare pronunciavit verissimè Gregorius Magnus; Obedientia sola virtus est, quę vir-

virtutes cęteras menti inserit, insertasque custodit.

In acquisitionem igitur tantæ virtutis totis viribus incumbendum est, ut per unā cęteras assequamur. Ideò verò tanti meriti est obedientia, & longè ipsi fortitudini periculorum omnium contemptrici, prę ferenda, quià per fortitudinem non aliena caro, sed propria: per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Quare tantum videtur præstare fortitudini obedientia, quantum nostri corporis, præstat mactatio, & mors propriæ voluntatis.

MEDITATIO III.

De Charitate Domini inter Doctores, Doctorem agentis.

VErbum illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum illuminatione invisibili, voluit etiam sub humana specie illuminatione visibili nos docere. Et ut docentem libentius audiremus, ea ætate docet, quæ dulciùs omnium sibi animos vindicat, & amores. quid enim jucundius, quam audire scripturarum interpretationem ex ore Interpretis duodecimum annum agentis?

Sed verba, quę ex ore tuo prodibant, ut nobis essent amabilia, & dulciora super

mel, & favum, ò Bone JESU, non indigebant dulcedine, & amabilitate ætatis tuæ. Erant enim verba Vitæ ęternæ. Quia tamen infirmitati nostrę major quidam decor elucet in te, quoniam æternus factus es duodennis; ideò antiquus dierum, puer appares, ut jucundè audiendo, & amando adolescentulum, longè jucundius audiamus, & amemus Æternum.

Ego verò quid hactenus egi? Neque audivi, neque amavi doctrinã, quã Æernus in puero docuisti. Frustrà Majestatem æternitatis decore adolescentię temperasti, ut docentem fidentius audirem. Utinam mutata voluntate nihil in posterum frequentius nihil ardentius dicere possim: Loquere Domine, quià audit servus tuus, Loquere adolescens æterne; Loquere, ut audiat servus tuus Sapientiam Pueritiæ tuæ, audiat Sapientiam de Sapientia Patris tibi consubstantialis ęternam. Audiat autem servus tuus, non solum percipiendo, sed executioni mandando, quæ dicis. Væ siquidem servis cognoscentibus, & non facientibus voluntatem Domini sui. Servus enim, qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis, qui autem cognovit, & non fecit voluntatem Domini sui, vapulabit multis. Lucæ 12. 47.

2. Ut autem intelligeremus, quo amore nos doceat, relicta paterna domo, relicta matre, relicto Patre, solus remanet Ierosolymis. Verum quid miramur, si docendi studio pauperem domum relinquat, & Pa-

rentes suos, qui exivit à Patre, & è cœlo venit in terras, ut homines erudiret? Neq; venit ut tridui solum spatio, sicut in Templo Hierosolymitano, Doctoris officio fungeretur. Venit ut nobiscum esset usque ad consumationem sęculi, & mundum relinquens, & vadens ad Patrem unà cum Patre apud nos mansionem faceret, & quæcumque audit à Patre, nota faceret nobis. O' ineffabile Charitatis ingenium? Si deliciæ Filij Dei sunt esse cum filijs hominum, & illos alloqui, illisque suam Doctrinam tradere, usquequò diligimus vanitatem, quęrimusq; mendacium? Cur sapientiam de summis, excelsisque verticibus, ut habetur Proverb. 8. 2. suprà viam in medijs semitis stantem, juxtá portas civitatis in ipsis foribus loquentem non audimus? O' viri ad vos clamito, & vox mea ad Filios hominum. Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animaduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum, & aperientur labia mea, ut recta prædicent -- Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, & ęqui invenientibus scientiam. Accipite disciplinam meam, & non pecuniam. Doctrinam magis, quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis; & omne desiderabile, ei non potest comparari.

Gratias agamus Amori, quo Sapientia suo nos auro ditare desiderat; ut primò quidem exemplo Apostolorum pauperes simus

mus in hoc mundo, sed divites in Fide, & hæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se Iacobi 2. 5. Deindè ut humiles in exaltatione, divites simus in humilitate, Iacobi 1. 10. Tertiò, ut sortiamur locum inter eos, qui Ecclesiastici 24. 6. dicuntur homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis.

Gratiarum actioni succedat ingens de insipientia nostra confusio. Quid enim majori nobis probro verti potest, quam quod audire detrectantes dicentem unicuique nostrum: suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ. Apocalypſ. 3. 18. audire pergimus verba, & doctrinam illorum, de quibus dicitur Ierem. 6. 30. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. Et Ezechielis 22. 18. Versa est mihi domus Israel in scoriam. Omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt.

Postremò petamus spiritum Veritatis, ut ipso docente omnia, & suggerente omnia, quæ nos Veritas docuit, & docet, non solum quæ dicta sunt nobis, atque dicuntur percipiamus, sed perficiamus.

3 Diligebas Puer dilecte Genitricem tuam, diligebas Parentem nutritium, & educatorem tuum. Pateris tamen illam, pateris hunc tam acerbè dolere, ut nos gau-

gauderemus, nobiſque tuam præſentiam indulgens, & ſapientiam communicans nobiſcum ipſe gauderes. Ut facias voluntatem Patris tui, qui te miſit, & ut nos erudias, ad quos miſſus es, mœrore conficis, quos ſumoperè diligis, & doles, quià ipſi dolent, ſed vincis dolorem amore Patris, & noſtri.

Quod vincas amore Patris, qui te miſit, non miramur. Quod vincas amore noſtri ad quos miſſus es, non intelligimus: quid enim boni, undè nos ames habemus? Immò quid non habemus mali, vnde averſeris?

Si enim uilitatem attendis, viliſſimi ſumus. Si ruſticitatem morum, duriſſimi. Si tarditatem ingenij tardiſſimi. Si animum beneficiorum immemorem, ingratiſſimi: quæris tamen eſſe nobiſcum, & nos alloqui, & docere; & ut doceas, audire non refugis: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus Te?

Utinam dolor Parentum, utinam dolor tuus doceret, quos verba non docent. Et ſi ex ore tuo ſapientiam non diſcimus, ex dolore ſaltem diſceremus amorem.

Non quærimus te, quià cum ſollicitis, & de tua dolentibus abſentia non dolemus. Neque dolemus, quià non amamus, neque amamus, quià non cognoſcimus. Da noſſe, ut amemus, da ut amantes doleamus, & cum dolore quæramus donec inveniamus, quæri volentem, immò etiam ſe non quæren-

rentibus offerentem, juxtà illud: quæsierunt me, qui antè non interrogabant: Invenerunt me, qui non quæsierunt me: dixi: Ecce ego, Ecce ego ad gentem, quæ non invocabat Nomen meum. Isaiæ 65. 1.

Quæsivimus autem, bone IESU, non interrogantes, quià gentium erroribus obvoluti, quærebamus Præceptorem numeris omnibus absolutum, sed neque interrogabamus te, neque alios de te, quià latebat nos, te illum esse,& unicè esse, quem ignorantes quærebamus. Invenimus verò te non quærentes, quià dum alios Doctores quærimus occurristi nobis, Nomenque tuum minimè invocantibus dixisti: Ecce ego, Ecce ego.

4 Sed quis hospes, bone IESU, Ierosolymis tridui spatio manentem, quæ domus, quæ mensa, quis lectus excepit? An prò foribus Templi de nocte mansisti, & gradus, quibus ascendebatur in Templum subdiò quiescenti prębuere cervical? & panis ostiatim emendicatus mensam instruxit? An potius omni cibo abstinuisti? quid illo triduo actum sit, ingnoramus.

Si nemo commiseratione tactus excepit hospitio, si manum ad stipem porrigenti, frustulum panis exhibitum est, numquid panem petebas, ut panem pane rependeres, pane videlicet Doctrinæ cęlestis? Sed Doctrina hæc numquid illa est, de qua dicturus eras: Doctrina mea non est mea. Si hæc est, cum doctrina tua aliud non sit, quam tu, vide obsecro; quid, prò quibus retribuis,

buis. Prò fragmento enim atri, durique panis, Panem illum exhibes vivum, qui de cęlo descendit. Tibi satis non est, docere nos verbis dulcioribus super mel,& favum, nisi unà cum verbis prætereuntibus, Verbum immobile, indeficiens, Patrique coeternum in corda nostra illabaris, præstans, ut illo invisibili cibo vescamur, quo vescuntur Spiritus Immortales. Quis charitatem, quis Liberalitatem istam dignè perpendat?

Quod si desiderio nos Doctrina tua pascendi, jejunio trium dierum tenue corpusculum attrivisti, quid dicemus? Numquid de jejunio interroganti respondisses: Alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis? Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Esuris ergo, ut pascas, & esuries tua tibi cibus est, quià esuries ejusmodi, voluntas Patris est.

O si nos tuæ dulcedo Charitatis, atque facundię ità caperet, ut ab ore tuo penderemus immemores cibi, nostroque experimento disceremus, non in solo pane hominem vivere, sed de omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Pasce nos verbis, quæ procedunt ab ore tuo disertissime Puer. Immò pasce nos Verbo, quod procedit ex ore Dei Patris tui, & nihil prætereà esuriemus.

5 Ad hęc humi de nocte cubas, ut die illucescente radios tuę Doctrinæ diffundas. Ut nostrę consulas quieti, nulla tibi quiescenti saxa dura, aspera, incomoda sunt,

sunt. Quies, cui nobis per tuam Sapientiam comparandæ inuigilas, ità dulcis tibi est, ut nihil de somno tuo labores. Somnum quantumvis durum mollissimum facit amor sapientiæ nobis impartiendę.

Quid ergò nobis in grati animi testificationem agendum? Quoniam amore nostri somnum carpis ipsa vigilia molestiorem, nulla nobis amore tui gravis erit vigilia, sed memores verborum tuorum; Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me invenient me. Prouerb. 8. 17. vigilabimus semper ad te, ut inveniamus te

Deinde si nobis prò foribus Templi somnum capis, & nos vigilabimus ad fores tuas quotidiè, & observabimus ad postes ostii tui, vt invenientes te, inveniamus vitam,& salutem à Domino hauriamus. Prou. 8. 34. Ad cujus autem Templi fores vigilabimus, nisi ad fores illius, quod inimici quidem tui solvent, sed tu trium dierum spatio reædificabis? O' Templum omni Templo religiosius, augustius, magnificentius, in quo inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter? Utinam ab hujus Templi gradibus numquam recedamus. Utinam ad valvas istas quotidiè vigilemus, & ad postes venerabilis ostii observemus, ut oracula de Templo Sapientiæ audiamus, & diligentes diligamur.

Denique si tu quidem humi jacens dormis, sed cor tuum vigilat nobis, & prò nobis:

Studebimus primò, ità custodire cor no-

strum,

ſtrum, ut maximè tibi vigilet, quandò ſopore mortis oculi noſtri claudentur. Ità dormientibus nō auferetur Lucis aſpectus, ſed clariùs illuceſcet.

Studebimus ſecundò, ità prævia oratione, ſanctiſq; deſiderijs ſomnum capere, ut vel dormientes cogitemus de te, & reſiſtamus tentatori, vti experiebatur Auguſtinus dicens: Domine memores mādatorum tuorum in ſomnis reſiſtimus.

Studebimus tertiò, acquiſitioni ſapientię Sanctorum per meditationem, & contemplationem, quæ dulcis quidam animæ ſomnus eſt, ut quantum fas eſt, & nos affirmare poſſimus: dormimus, ſed nullo unquam tempore, magis vigilat cor noſtrum, dum ità quieſcimus.

6 Amiſſus, Puer amabilis, quæreris à Parentibus tuis. Quæſitus inveniris. Inventus interrogaris, cur tanti cauſa doloris extiteris. Reſpondes autem. Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quià in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?

Quænam autem ad Patrem pertinentia, tuam pręſentiam requirebant? Numquid illa; Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ? Iſaiæ 49. 6. Diſtabat nimium tempus prædicationis tuę. Ideò præ deſiderio nos illuminandi, illud præoccupas, morem Patri gerens imperanti, quod ardentiſſimè imperari tibi deſiderabas, & ijs volēti pręludere, quæ pleniori ætate perfecturus eras faciens, & docens.

Sed

Sed quænam arcana primis illis auditoribus tuis nota fecisti? Numquid argumentum intetrogationis, ac disceptationis tuę fuerunt illa Danielis verba, 9. 24. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitæ, & adducatur Iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophætia, & ungatur Sanctus Sanctorum? An illa ex psalm. 2.7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Ego hodiè genui te?

Quoniam enim summus Amor tuus erat Pater; & maximè tibi cordi erat nostra felicitas, ideò cognitionem Patris ingerebas, & fecunditatem in gignendo Filio sibi consubstantiali innuebas, ut jam indè inciperent Homines fieri æternæ Vitę participes. Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant illum unum verum Deum, & quem sibi coeternum misit Filium vnigenitum.

Utinam cognitio Patris, utinam cognitio tui semper cumulatiori luce refulgeat in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, sine quò ritè cognoscere, sine quo amare, sine quo obtinere non possumus vitam, quæ Pater est, vitam, quæ tu similiter es, vitam deniq; ab vtroque manantem, quę Spiritus Sanctus est. O' Vitam, quæ sola Vita est, Vita beatissima, securissima, Indeficiens!

Et quoniam ad Vitam beatissimam pervenire non possumus sine via, & veritate, locum Danielis fortasse in medium produ-

xisti, ut innumeris cladibus attrita mortalitas, in spem denique erigeretur salutis, & Peccati finem accepturi, & iniquitatis delendæ. & adducendæ in Orbem terr rum Iustitię sempiternæ, & Sancti Sanctorum de hostibus visibilibus, & invisibilibus, de Morte, atque peccato triumphaturi.

Gratias immortales, quas possumus, reddimus, ut nobis quoque utiliter oleo lętitiæ præ consortibus tuis inunctus fueris, & nobis quoque peccatum finem acceperit, & deleta iniquitas terræ:& adducta fuerit Iustitia sempiterna,

MEDITATIO IV.

De Christo Domino dicente

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.
Jo. 6. 57.

1 Considerandum est quomodò manducans carnem, & bibens sanguinem Domini maneat in ipso.

Omissis aliis, triplici tantùm utamur similitudine ad præfata verba interpretanda. Igitur cœlestis mensæ Conviva manet in illo, quem manducat, & bibit, primò

mò quidem uti manet palmes in vite, secundò uti ferrum in igne, tertiò uti amans in amato.

Quoad primum. Sicuti palmes ità viti, undè processit, coniungitur, ut nihil magis timeat, quam indè separari, undè vitam, viriditatem, fructus accepit, & accipit: Ità Justus ab illa vite progerminans, quæ dixit: Ego sum vitis, vos palmites: nihil magis amat, quam suo inhærere Principio, undè vivit, undè vernat, undè botros sanctorum operum implet liquore, hoc est amore dulcissimo, quo tantopere delectatur cęlestis Agricola. Rursum sicuti palmes, ut fructum plus afferat, libenter patitur falcem superflua amputantem: ità justus per Fidem, & Charitatem dominicæ Viti inhærens, non contentus foliis exteriorum operum, ut fructum plus afferat de corde puro, & fide non ficta procedentem, diligentis coloni falcem non refugit, curas inutiles, & fluxa desideria resecantis.

Quoad secundum. Sicuti ferrum naturam quodamodò suam in igne dediscens, fit de obscuro lucidum, de frigido ardens, de resistente, sivè cõflatori, sive malleatori tractabile, & in varios usus ad normam artificis efformabile: ità justus manens in illo, de quo dicitur Deuteronom. 4. 24. Dominus Deus tuus ignis consumens est: consumens videlicet quicquid inest vitii naturis ad purum excoquendis: Justus inquam in Domino manens in ferri morem

obscuri, frigidi, ac duri, illuminatur, accenditur, aptusque redditur cujusque operi, sive fusorio, sive malleatorio ad nutum opificis peritissimi.

Quoad tertium. Si omnis amans egreditur à se ipso, & magis est ubi amat, quam ubi degit: ità longè potiori jure, qui manducat carnem, & bibit sanguinem Domini, egreditur à se ipso, & magis est, ubi amat infinitum bonum, quam ubi nihil habet præter se ipsum omni bono carentem.

Ego sum Bone IESU, tamquam ramus inutilis, exscindendus, & in ignem mittendus, & semper arsurus. Tua tamen Potentia, tua Sapientia, Charitas tua potest me facere de sarmento inutili, palmitem fructiferum in vite non solum manentem, sed mansurum, semperque mansurum. Palmiti solum convenit, aut vitis, aut ignis, dicebat Augustinus. Maneam Domine IESU in vite ne separatus a te ignem mihi solum videam superesse.

Ego sum animi ferro durioris, rigidioris, tenebrosioris. Mitte igitur in me illum ignem, quem de Cęlo misisti, & illumina tenebras meas, & frigus dissolue, quo rigeo; & ferrei animi vince duritiem, ut faciat de me quicquid operis manus tua voluerit.

Ego denique serò te cognovi Pulchritudo tam antiqua, & tam nova, serò te cognovi. Amare verò nunquam didici. O si tandem aliquandò esse desinerem in rebus

bus caducis! O' si desinerem esse in me, ipso! Et prò bonis caducis, & prò me ipso, inciperem esse in illo, in quo sunt omnia, & omnia unum sunt, & extrà quod quicquid est, nihil est!

2 Considerandum est, quomodo maneat Dominus in manducante corpus, & bibente sanguinem suum. Dicendum autem, est, manere sicut Gubernatorem in puppi, sicut Dominum in domo, sicuti spiritum in corpore, & potissimum sicut alimentum in alito.

Manet igitur ut Gubernator in puppi, non sedens otiosus ad clauum, sed clauum regens, sed vela sanctorum desideriorum explicans, sed extantes scopulos, & cęca saxa devitans, sed ad Portum Æternitatis inoffenso cursu deducens. Quis pelagus, quis procellas timeat, illo gubernacula, moderante, qui imperat ventis, & mari, & fit tranquillitas magna? Quis de naufragio sit sollicitus, si tu puppim regas, qui cum adhuc mortalis inter nos versareris, venisti in altitudinem maris, & tempestas demersit te, ne demergeret nos? Et tribus diebus, ac noctibus fuisti in ventre cęti, ut nos eriperes voracitati mortis æternæ?

Ut Beneficentiæ nobis impensæ prò viribus respondeamus, nulla prò te pericula nostrum navigium pertimescet. Tibi tamquam remiges parebunt omnes potentiæ nostræ exteriores. Tibi parebunt interiores. Tibi ad nutum voluntas obtemperabit. Tibi vigilabit intellectus.

Et quoniam ubi Crux, & Amor Crucifixi, ibi Dominus; ut nunquam mecum esse desistas: erit rati meæ prò malo Crux tua, & illam erigam in medio cordis mei. Erunt vincula tua prò funibus antennas è malo suspendentibus. Erunt prò velis lintea, quibus in tumulo corpus exanime involutum fuit. Nulla carbasa pleniùs Divini Spiritus auras excipient. Prò quolibet armorum genere, erunt virgarum fasces, erunt flagella, spinæ, mallei, clavi, lancea. Prò commeatu vinum felle mixtum. An potius sanguis, & aqua, saucio nobis erumpentes è latere, in lavacrum simul, & alimoniam immortalem?

3 Apocalyps. 3. 20. Qui stat ad ostium, & pulsat. & dicit: Si quis audierit vocem meam, & aperverit januam, intrabo ad illum, & cęnabo cum ipso, & ipse mecum: Manet hic apud hospitem suum, sicuti Dominus in domo sua. Sicut enim Domino patent singula cubicula ad sedendū, ad colloquendum, ad agendum, ad quiescendum: ità Hospiti divino patent singulæ potentiæ animæ nostræ.

Patet memoria ingredienti ad sedendū, ad colloquendum, ad agendum, ad quiescendum, quoties illius beneficia recensemus. Neque sedet hospes mitissimus, aut quiescit nihil agens. Sed agit quicquid intrà nos agitur. Ipse enim in memoria nostra suis coloribus, & lineamentis animat imagines sui creantis, conservantis, gubernantis, hominem assumentis, nascentis

tis

tis in antro Bethlemio, morientis in Cruce, prodeuntis è tumulo, redeuntis ad Patrem, Spiritumque suum è Cœlo mittentis

Patet intellectus illius ingressũ opperiẽs, qui novit quiescens agere, silensque facundissime loqui, eo pręcipuè tempore, quo de virtutibus acquirendis, quo de sanctitate in nobis, & aliis promovenda, quo de peccatoribus ad meliora consilia revocandis, cogitamus. Quid quando spectaculum contemplatoris admiratione suspensi, Pater est, Ipse est, Spiritusque Patri consubstantialis, & sibi?

Patet voluntas totis votis venientem excipiens; si moram facit, ardenter expectans, donec veniat; ad pedes pręsentis procidens, & expansis ulnis amplectens, & fortiter tenens, ac dicens: Non dimittam te, donec benedixeris mihi. Gaudet cum gaudente, manet in manente, cumque verissimum illud sit: Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat, enixè petit ut unicè amemus ipsum propter ipsum, neque nos nisi propter ipsum, & omnes in ipso, sicut jubet Lex Amoris lucens ex ipso.

Concurrentibus denique singulis in unum potentiis, memoria, intellectu, voluntate, patet cęnaculum grande stratum, latitudine Charitatis amplum, Sapientiæ apparatu splendidum, pictis auleis parietes vestientibus ope memoriæ exornatum, ubi Dominus sedet ad mensam, & ille cę-

nat nobiscum, & nos cum ipso.

4 Sicuti spiritus manet in corpore, ità Dominus manet in justo eucharistica dape refecto. Sicuti enim spiritus unitus corpori, totus est in toto, & in qualibet parte totius est totus, vivificans, movens, tribuens robur, calorem, colorem, pulchritudinem, vim ad videndum, audiendum, olfaciendum, gustandum, atque tangendum: ità Christus Dominus virtute Sacramenti unitus justo, totus est in toto, totus in qualibet parte totius: totus in corpore, totus in anima: totus in sensibus externis, illos in officio continens; totus in phantasia illam rationi subiiciens: totus in ratione, illam illuminans; totus in voluntate, illam incendens: totus in tota anima, illam suæ Divinitatis participatione vivificans, movens, roborans, formosam reddens, habilemque ad videnda, quæ oculus non vidit, ad audienda, quæ auris non audivit; ad currendum in odorem unguentorum suorum; ad gustandum quam suavis sit Dominus Pater suus, quam dulcis ipse sit, Spiritusque suus; denique ad experimentali quadam cognitione tangendum, & amplexandum illum, qui superat omnem sensum & amplexum, cum solum sit amplexus quidam hominis interioris, atque de illo dicat anima sancta: Tenui eum, nec dimittam.

Non recedat à me, Domine Spiritus tuus, ne te recedente, quicquid habeo de te boni, recedat. Sine te anima vivo in cor-

corpore mortua est, exanguis, frigida, decolor, deformis, & scatens vermibus est. Expers omnis virtutis activæ non videt te. Non audit vocem tuam. Non percipit fragrantiam vestimentorum tuorum. Non esurit Justitiam. Non sitit Fontem aquæ vivæ. Et quæ tibi uni inhærere debebat, serpentum spiris, & amplexibus præfocatur.

Non hac morte moriatur anima mea, sed moriatur morte Justorum, quibus vivere Christus est, & mori lucrum. Moriar mihi, & omnibus, quæ Deus meus non sunt. Moriar mihi, nè moriar: & vivat unicè in me Spiritus ille, sine quo nemo unquam vixit, vivit, aut vivet. Præsta in singula momenta centies mori, & millies, quam peccando expertem fieri vitæ, extrà quam vita non est.

5 Denique Dominus est in manducante carnem suam, & bibente sanguinem suum sicut alimentum in alito. Triplex autem differentia inter cibum corporeum, & Eucharisticum attendenda est.

Differentia prima est, quià alimentum, quo nostra corpora nutriuntur, vitę particeps esse non potest. Mortibus enim vivimus, ajebat ille. At Cibus eucharisticus viuus est. Est enim panis viuus, qui de cęlo descendit.

Differentia secunda. Alimentum corporeum, sive solidum, sive liquidum, convertitur in substantiam comedentis, & bibentis. Alimentum eucharisticum, non

convertitur in comedentem, & bibentem: Sed comedens, & bibens transformatur in similitudinem, & quodamodò vertitur in substantiam alimenti, juxtà illud, quod D. Augustino dictum est: Cresce manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.

Differentia tertia. Post conversionem alimenti corporei in alitum, nihil de alimento remanet in alito, præter partem infimam alimenti, nempè materiam, quæ sub hac, vel illa forma latebat. At Alimentum eucharisticum, non solum manet in alito, integris adhuc speciebus eucharisticis, sed illis etiam consumptis, de alimento remanet, quod optimum est. In justo non remanet panis viuus, qui de cœlo descendit, secundum humanitatem reipsa præsentem: At remanet secundum hypostasim, remanet secundum Divinitatem.

Quot differentias, tot prodigia Divini Amoris attigimus. Tot argumenta nostrę felicitatis: Cibus, & potus animarum nostrarum, viuus est, & viuus vita, extrà quam non est alia. Ergo nullam aliam quæramus vitam, unde vivamus.

Ad hæc non mutatur in nos, sed nos in ipsum convertimur. Quid felicius? Quid optabilius? Illud unicè mihi dolendum est, quod hactenus ità dissimilis sum, convertenti nos in se ipsum. Ille siquidem est candor Lucis æternæ. Ego adhuc tenebrę, & nondum lux in Domino. Ille speculum sine macula. Ego maculę, & sordes. Ille

cum

cum malediceretur non maledicebat. Ille in qua nocte tradebatur, se ipsum nobis tradebat. Ille. Si cętera persequar, Bone IESU, destituor animo, & quo me vertam nescio. Nam quo me vertam, dum illa recolens; nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me: Considero te, & considero me?

Postremum Amoris prodigium est panis viuus, non desinens esse in nobis, secundum optimam partem sui, postquam consumptis accidentibus Sacramenti esse desiit in nobis Humanitas. Quid hoc rei sit, doce nos omnipotens Sapientia.

6 Accuratiùs igitur in hoc ultimo meditationis puncto, consideremus, quomodò cibus, potusque cœlestis, non solum paucis instantibus à manducatione, & haustu sacramentali, sed perenniter maneat in illo, qui manducavit, & bibit.

Desinit in illo esse Humanitas Verbi, sed non Divinitas. Non manet autem solum per Essentiam unicuique intimam, & essentialiter indistantem: non solum per potentiam creantem, conservantem, & omnia in omnibus agentem: non solum per præsentiam Sapientiæ omnia perfectissimè intuentis, quæ omnia communia sunt justis, & peccatoribus. Neque solum manet per singularem beneficentiam, communicantem animæ gratiam sanctificantem, intellectui sapientiam, voluntati charitatem, quæ justis omnibus communia sunt; sed manet prætereà per modum cibi,

potusque ineffabilis, quod solum convenit dignis Sacramenti Eucharistici susceptoribus.

Sed quid agit, inquies in Angelicę mensæ convivis Filius Dei in forma Dei, se habens per modum cibi, & potus?

Quos transformavit in se, transformare non cessat. Alit vitam, quam dedit, & per modum cibi solidi, vires, quæ quotidiè atteruntur, reparat, roboratque ad currendum, ut comprehendatur propter quod curritur. Roborat ad luctandum, non adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Roborat ad pugnandum, & expugnandum Regnum cęlorum, quod vim patitur; & quod soli rapiunt violenti.

Per modum verò meri potentissimi simul, atque dulcissimi delectat, calefacit, exhilasat, timorem pellit, inebriat.

Delectat, quià sitienti sapientiam, & sanctitatem nihil dulcius est Filio Dei sapientissimo, sanctissimo, atque pulcherrimo.

Calefacit, quià dulcedo, & amabilitas Dei in fonte suo gustata, amore mirabili cognoscentem incendit.

Exhilarat, quià Spiritus jucundissimi laticis per venas animæ, cordisque diffusus, exilire præ gaudio facit

Timorem pellit, quià Charitas diffusa in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui

qui datus est nobis, foras mittit timorem; atque adeò ad omnia pericula facit intrepidos. Quid enim timeant, qui secum habent dicentem: Ego sum, nolite timere.

Denique inebriat, non mero, sed vero, vt docet Diuus Bernardus. Imò, & mero, & Vero. Inebriat enim Vero, quod est purum verum, seu merum verum, quoniam est ipsa Veritas. O' Verum! O' Merum! O' Merum Verum! Utinam alii, utinam ego, non alio, aut Mero inebriemur, aut Vero.

MEDITATIO V.

De Christo Domino exaltato à Terra, & omnia trabente ad se ipsum.

PRima ad Corint. 4.9. Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Si Apostoli morti destinati facti sunt spectaculum mundo, & Angelis & hominibus: quantò magis Apostolorum Dominus Cruci durissimis clavis affixus, spinis redimitus, lacero innumeris vulneribus corpore geminoq; tamquam dux Latronum Latro-

trone hinc, inde stipatus?

Spectaculum insolens trahit ad se omnium oculos, sed non corda. Tria sunt enim genera spectatorum. Spectant alij curiositate ducti. Alij odio, atque nequitia. Illis nihil insulsius. Istis nihil crudelius excogitari potest. Facessite hinc barbari spectatores, & dolete de malis vestris, non gaudete de malis, malorum omnium depulsoris.

Alij verò spectant, & colent, & multum dolent, quià multum amant. Neque horum desidosus est amor, sed alacer ad agendum, fortis ad patiendum, Dominoque morienti commoriendum. Ardua quæque aggreditur, & molitur amore prò se patientis, & morientis. O' spectatorum genus amabile! Cur vestro lateri non adjungor, ut vobiscum adhæream lateri Amoris de Cruce pendentis?

Exaltatus ille à terra traxit vos cum omnibus alijs ad se. Cur adhuc non traxit me? Non defectu sanè trahentis non traxit; Nam & vis trahentis omnipotens est; Et ille nihil intentatum reliquit, ut me quoq; traheret inter alia, quæ traxit. Ergò non traxit, nisi vitio resistentis. Numquid resistam semper? Et omnipotenti resistam, summèq; Sapienti, & summè Amanti?

Vos, qui trahenti ità feliciter, ità promptè cessistis, afferte opem misero, & docete qua ratione possim currere post vos, & amare, quod amastis, & facere, quod fecistis.

Sed

2 Sed qui non trahitur ad trahentem omnia ad se, attentè perpendat quibus ipse quoque moveri possit impulsibus, quibus catenis innecti, ruptisque vinculis miseræ captivitatis, captivus fieri Amoris Crucifixi.

Perpendat igitur primò loco nuditatem speciosi forma præ filijs hominum. Pepercit ignis camini babylonici vestimentis trium puerorum, ut advertit Divus Chrysostomus, ne versis in cinerem vestibus, prius ingenuos adolescentes, nuditatis pudor incenderet, quàm flamma corriperet. Parcitur vestibus, consulitur nuditati Ananiæ, Azariæ, Misaelis: non consulitur illius nuditati, qui non tres solùm, sed innumeros Babylonicis Pueris pares innocentię lumine sicut vestimento circumdat.

Nuditatis ignominiam innocentissimus Dominus sensit magis, quam clavos pedum, & manuum; quam spinas Capitis, quam nervorum, membrorumq; violentissimam tensionem. Amarissimum tamen tormenti genus coram Populo tam frequenti, trium horarum spatio perferre non renuit. Et ut ostenderet, quam acerbè simul, & patienter, ejusmodi probro affectus fuerit, dixit Psalm. 21. 19. Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Consideraverunt, & non intellexerunt, inquit D. Aug. in Psalm. 21. Conspexerunt, & non viderunt. Usque ad carnem oculos, non vsque ad Verbum cor habuerunt.

Ad-

Addere possumus: Usq; ad ignominiam oculos, sed non usque ad causam ignominiæ, & Charitatem Verbi, cor habuerunt.

Quis non amet Verecundiam tot probrorum toleratricem, ut pęnas inverecundię nostræ persolveret? quis non toto feratur impetu in candorem Lucis æternæ tanto rubore suffusum, quià nos ità fuimus impudentes! Utinam sicuti nubes occidente Sole, purpureo colore tinguntur: ità nostris vultibus, & animis excipientes radios Divini Solis in suo occasu purpureos, disceremus de plenitudine omnis Innocentię, de plenitudine omnis modestiæ, ac verecundiæ, interioris, exteriorisque rubore Hominis erubescere, coram oculis Civium beatorum, coram oculis divinę Parentis, coram oculis Iustitiæ Solis cuncta cernentis. Erubescamus toti, quibus tot insunt, ac tanta, undè non possumus, nisi confusione totos obtinente, confundi. Si hoc egerimus, jucundissimum illi de nobis specimen exhibebimus, qui tam lugubre prò nobis factus est cœlo, terrisque spectaculum.

Perfectæ nuditati Christi Domini de Cruce pendentis, licet plerique Scripturarum opponantur Interpretes, immò, & piarum mentium revelationes: adstipulatur tamen D. Ambrosius in cap. 23. Lucæ. dicens: Nudus Crucem ascendit; nudum ecce video. Talis ergo ascendat, qui sæculum vincere parat, ut sæculi adiumenta non quærat. Victus est Adam, qui vesti-

men,

menta quæſivit. Vicit ille, qui veſtimenta depoſuit. Et talis aſcendit, quales nos Authore Deo, natura formavit. Sed Adam, inquit Taulerus, cap. 33. Exercit. Vitæ Chriſti: ob amiſſam innocentiam tegere ſe, & veſtibus operire feſtinavit: Chriſtus verò nudatus eſt, eò quod integram, & illæſam ſervarat innocentiæ puritatem, nec ullo ei alio tegmine opus erat.

Idem ſentiunt Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 22. Suar. in tertiam part. quæſt. 46. art. 8. ſec. 4. Franciſcus Lucas, & Cornelius à Lapide in cap. 27. Matthęi.

Quomodocûque ſe res habeat, illud certiſſimum eſt, Chriſtum Dominum ad hæc, & longè plura, & magis indecora perferenda fuiſſe propenſum, licet fortè magis conſultum voluerit dolori, & commiſerationi ſpectatorum, quam ſiti ardentiſſimæ probra quælibet tolerandi.

3 Qui ad omnis centrum Amoris trahentis omnia ad ſe cum omnibus aliis trahi deſiderat, perpendat ſecundò nouum, & intolerabilis genus dedecoris, & ignominiæ.

Oſtendit olim Dominus Zachariæ 3. 1. Jeſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini; & Sathan ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei. Et JESUS erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat antè faciem Angeli.

Sed quid Sacerdoti, Zachariæ oſtenſo, cum Sacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech, ſuſtinente perſonam omnium pecca-

catorum, coram cęlitibus universis, & præcipuè coram Patre, in cujus conspe-ctu cœli mundi non sunt? Videbas Domine IESU Sathanam à dextris tuis adversantem tibi; videbas te peccatis omnibus coopertum, & qui peccatum non noveras, factum prò peccatoribus peccatum. Videbas Spiritus immortales, videbas Patrem refugientibus oculis aspicientem, & abominantem sordidas vestes, quibus eras indutus. Erat tibi magno pudori nuditas corporis coram multitudine confertissima insultantium, deridentium, maledictis ferientium. Sed quantò majori confusione operiebant faciem tuam vestes inquinatissimæ, quibus toti cœlesti Curiæ, quibus Patris oculis eras horrori?

Ergo non solum peccatores super dorsum tuum araverunt, & morte turpissima condemnarunt, & manus, pedesque affixerunt Cruci, & animam mętrore acerbissimo confecerunt, sed etiam pudore pudorem omnem excedente, faciem operverunt. Sed si hoc ità se habet, si te peccatores tanto probro affecerunt, suisque te sordibus contaminatum erubescere coegerunt in conspectu Patris tui: quo ego te replevi pudore, qui omnium inquinamenta, sordesque longè transgredior?

Ego igitur, ego, sicuti fui pars maxima tui luctus, tuæque tristitiæ, & sicuti gravissimè omnium te flagellis cecidi, spinis circumdedi, clavis trajeci; ità præ cæteris in summum te ruborem adduxi coram Pa-

tre tuo, & coram oculis tuis erubescentibus de te vestibus meis induto, propter me.

Quid igitur mihi agendum est prò te, qui tantum dedecus, tantumque ori tuo injectum pudorem pertulisti prò mè? Non erubuisti vestes, non erubuisti sordes meas tibi impositas. Non erubuisti me. Numquid ego ludibria tua, numquid ignominiam Crucis, numquid Regem dolorum, simul, & probrorum, erubescam? Propitius mihi sis, non erubescam.

4 Trahi desiderans ad quem trahuntur omnia perpendat tertio illa Verba ex Psal. 145. 5. Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me.

In Passione sua, inquit Bellarminus. Multos videbat Christus Dominus à sinistris: idest inimicos, & adversarios: A dextris autem, idest amicos, & notos nullos habuit. Nam & Evangelista dicit: Stabant autem omnes noti ejus à longè. Et Petrus ipse, qui præcipuus erat amicorum, cum juramento dixit: Non novi hominem hunc. Rectè igitur Dominus dicebat: Considerebam ad dexteram, hoc est ad auxilia amicorum, & videbam num quis mihi socius, & amicus esset, & non erat, qui cognosceret me, idest nemo se ex domesticis esse, & familiaribus meis profiteri audebat.

Sed parva sunt ista. Non solùm te homines dereliquerunt. Pater tuus dereliquit te. Ità nè? Pater tuus sic dilexit mundum,

dum, ut Filium suum unigenitum daret? Tibi, ut nobis parceret, non pepercit? Posuit in te iniquitates omnium nostrum. Propter scelus populi sui percussit te? Sed numquid etiam è Cruce pendentem, toto corpore lacerum, cruentum, siti, tristitia que confectum ità deserere potuit, ut nè ultima quidem verba promentem, & jam jam expiraturum aspiceret, quoad illa, quæ pertinebant ad salutem corporis tui? Audivit quidem, & pro tua reverentia cum clamore valido, & lacrymis clamantem pro nobis exaudivit: sed morti durissimæ non eripuit morientem. Ergò ità dereliquit te, ne derelinqueret me, qui toties venam aquarum viventium dereliqui, ut per viam Ægypti, vel Assiriorum incedens biberem aquam turbidam fluminum terras, non animas fęcundantium, nihilq; societatis habentium, cum illimi Fonte Sapientiæ tuæ.

Ego desertor legis tuæ, ego desertor tui, qui non amas, & deseris, sive justos, sivè peccatores, illos inhærentes tibi amantissimè fovens, istos verò fugientes à te persequens, & volentes deseri, minime derelinquens. Cur mutatis vicibus, tu ità durè desereris, ego non deseror? Cur nè servus nequissimus deseratur, Filius amantissimus in summis doloribus derelinquitur?

Utinam discā ferre pro te omnes ęrumnas, omne desolationum, omne derelictionis genus, memor Patris tui, qui te deservit, ne desereret me: Memor tui, qui vo-

lui-

luisti dicere: Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me: nè servus nequam à Patre tuo deſererer, ne à te derelinquerer.

5 Perpendatur quarto loco ſitis illa, undè pendens è Cruce dicit: Sitio.

Drogo Serm. Dominicæ Paſſionis: quid, inquit, ſitis mi IESU? Ergo ne plus cruciat ſitis, quam Crux? De Cruce ſiles, & de ſiti clamas: Sitio. Quid? Veſtram Fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium. Plus animarum veſtrarum dolores, quam Corporis mei cruciatus me affligunt.

Drogoni conſonat D. Auguſtinus dicens: quod verò ſitire ſe in Cruce poſitus dicit, Fidem incredulæ Gentis concupiſcit. Sed è contrà acetum malitiæ porrigunt, quià vinum Sapientiæ, quod à Deo acceperant, peccando corruperant. Tom. 10. Serm. 1. in Paſſione.

Idem in Pſal. 68. Sitis ipſius erat, quandò dixit mulieri: Sitio, da mihi bibere. Fidem quippe ipſius ſitiebat. Et de Cruce, cum diceret: Sitio, Fidem illorum quærebat, prò quibus dixerat: Pater ignoſce illis, quià neſciunt, quid faciunt. Sed illi homines, quid propinarunt ſitienti? Acetum. Acetum enim vinũ vetus dicitur. Meritò de vetere homine propinarunt, quià novi eſſe nolverunt. Quare novi eſſe noluerunt? quià ad titulum pſalmi hujus, ubi ſcriptum eſt: Prò iis, qui commutabuntur, non pertinuerunt. Hęc Auguſtinus poſt medium Concionis primę in primam partem Pſalmi citati.

Ab-

Absit à nobis Domine ut veterem hominem exuere detrectemus. Absit, ut peccando vinum Sapientiæ corrumpamus: & Fidem nostram, & Sapientiam sitienti, acetum prò vino propinemus.

D. Augustino subiiciamus Diuum Gregorium Nissenum, à quo si quæramus, quid sit illa sitis, respondebit esse desiderium amoris nostri. Quia enim Dominus, nihil magis amat, quam amari, ideò sitit sitiri.

Ergo amemus Amantem, & sitientem sitiamus, & non utcumque sitiamus, sed sitiamus pendentem è Cruce, uti pependit: & horrentem spinis, sicut inhorruit, & derelictum à Patre, uti derelictus est; desiderantes videlicet fieri ex toto corde consortes illius Crucis, clavorum, spinarum, derelictionis. Ità sitienti potum, quem desiderat exhibebimus, juxtà id, quod pius Vates cecinit

Quæ petis in tantis, sitiens solatia pęnis,
A nobis, non à fontibus, illa petis.

6 Postremò attendamus aliud genus sitis planè inusitatum, atque mirabile. Quid sitit Dominus clamans: Sitio? Ad suæ Charitatis magnitudinem ostendendam, sitit plures, sitit acerbiores, sitit diuturniores pęnas. Et quoniam imminente morte, videbat sibi facultatem adimi, plura patiendi, ideò, antequam diceret: Sitio: Dixit Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. Querebatur nimirum, se derelictum à Patre, non quia sine levami-

ne

ne duriſſima pareretur; ſed quià ſuis ærumnis, ac doloribus, modus decreto immutabili ſtatueretur. Dolebat igitur, ajebat D. Bernardus, non propter tormenta, quæ patiebatur, ſed propter tormenta, quæ pati non dabatur ulterius.

O' ſitim Amoris! O' ſitim dolorum! Sitim hanc ſitiamus.

Et quoniam ille vivens, & moriens non ſolum ſitivit aquas Pœnitentiæ noſtræ, Fidem noſtram, Sapientiam, Charitatem, opera noſtra, Animas noſtras: Sed pro ſalute Animarum noſtrarum omnes illas ſitivit aquas, & omnia flumina, quæ Charitatem ſuam obruere, & ſitim extinguere non potuerunt; & ideò novas calamitatum, & pęnarum aquas, & nova flumina expetivit, præter illum torrentem, de quo in via bibit; & præter illam aquarum molem, de qua dixit: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me: optemus, & nos pro ipſo deſiderium vehementiſſimum patiendi omnia, quæ Patri ipſius, ipſique placuerint.

O' ſi cor noſtrum ità incaleſceret, ut quoties adverſa ingruunt, poſſemus dicere cum Indiarum Apoſtolo: Plura Domine; plura! Imò utinam poſſemus dicere cum ipſo Amore Crucifixo, novas, & graviores pęnas ſitiente: dum vita deficeret: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me: quià vita jam, & viribus deficientibus, non pateris me plura pati prò te?

ME-

MEDITATIO VI.

De Aperto Latere Domini in Sepulchro jacentis.

1 POst lacrymas ad vulnera pedum, manuumque in tumulo jacentis affusas, restat adhuc, amantissime JESU considerandum Latus immani vulnere patens. Dolorem injuriosæ, diræque trajectionis jam vita cassus percipere non potuisti. Mater sola percepit, lanceam cordis exanimi scrutatricem, toto corde recipiens, dolensque adhuc odia peccatorum effervescere in defunctum, conceptamque, sævitie nova, exercere sævitiem.

Gavisa tamen est, sinum potius apertum fuisse, quam crura confracta. Gavisa est, quià juxtà prędictionem: Os non comminuetis ex eo: Ossa integra argumentum erant non solum Divinitatis inviolabilis, & illęsæ: verum etiam Humanitatis infractæ adversus omnem vim hostium, ærumnarum, vulnerum, cruciatuum. Gavisa est, quià dum vulnerabaris, vidit de latere Adami, non de terra terreni, sed de Cęlo cęlestis dormientis in Cruce Sponsam Ecclesiam prodeuntem una cum sanguine, & aqua: cum aqua videlicet Baptismi, undè mundabatur: &

cum

cum sanguine vivifici corporis tui, undè nutrienda erat, & usque ad consummationem sæculi inebrianda.

Arcanorum igitur conscia, & prçnuncia futurorum in vertice montis Calvariæ, de cujus lateris dolebat vulnere, de fçcunditate gaudebat: eoque magis gaudebat, quò tibi adeò cordi erat ista fçcunditas. Ad hoc enim in hunc mundum veneras. Ad hoc laboraveras, fleveras, intereras. Huc omnia tui cordis vota spectaverant.

Ergo & nos tuæ, & si fas est ità loqui, nostræ Parentis exemplo doleamus, & gaudeamus. De injuria tibi irrogata doleamus: De Ecclesia ex isto latere genita, gaudeamus. Quod si Ecclesia Fideles omnes; numquid omnes, & singuli ex isto corde prodivimus? Bone IESU, quid hoc rei est?

Quandò Pater tuus ab initio mundi ait: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, nos in Adamo tuis manibus condidisti. At nunc eosdem: Audite cçli, quæ loquor: Eosdem in Adamo, & ex Adamo secundo regenerans in lucem edis, in lucem miserationum tuarum: in lucem illam, quā inhabitas inaccessibilem. Sed undè nos edis? Edis de latere, de sinu, de corde tuo.

O' si nunquam celsissimæ originis oblivisceremur! O' si viscerum tuorum, undè prodivimus, & cordis referremus ingenium!

2 Sed numquid egressis de latere tuo patet regressus? Q Imò

Imò verò latus, quod patuit, ut nos de. se ipso in vitæ novitatem regeneraret, jugiter patet, ut ad ipsum redeamus, per amorem, qui nunquam ineffabilis beneficii sit immemor.

Rursum patet, ut perenniter ingrediamur, & egrediamur, & pascua inveniamus. Patet ut ingrediamur ad spectanda tuæ viscera pietatis, & ad contemplandam lucem Divinitatis tuæ. Patet ut egrediamur ad agendum, ad gloriæ tuæ cooperandum, ad nos virtutibus exercendos, ad animas tibi quærendas, periculis eripiendas, adducendas in tutum, & in abscondito vultus tui, & in cordis abscondito abscondendas. Sive quiescamus in te, sive laboremus prò te, ubique dulcissima pabula invenimus. Nam & videre faciem tuam contemplando, & facere voluntatem tuam agendo, cibus est suavissimus. Cibus est, quem faciem tuam, quem voluntatem tuam ignorantes ignorant.

Ergo quod patuit, semper pateat. Pateat innocentibus. Pateat pœnitentibus. Peccatoribus pateat nondum quidem redeuntibus, sed redituris. Pateat, & mihi nequissimo omnium peccatorum. Novi latitudinem sinus; novi amplitudinem cordis, quam limites nulli definiunt. Continet cœlum, terrasque. Continet omnia. Sed adhuc in immensum protenditur, & ad meliora converti, & reverti ad cor cupientes expectat.

Nemo dubitet. Nemini locus deesse po-

poteſt intrà latitudinem confinia neſcientem.

3 Diſcipulus ille, quem Domine diligebas, ſuper pectus tuum in cœna recubuit. Nulli præterquam Ioanni, tanti argumentum Amoris exhibitum eſt. Quomodò ergo pectus, in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei nunc patet, non ſolum Ioanni, ſed omnibus, & juſtis, & peccatoribus, & grandi apertum vulnere patet, & magnis vocibus omnes invitat ad acceſſum, ad ingreſſum, ad cõſeſſum, & conſeſſum ad menſam omne delectamentum, & omne genus refectionis habentem?

Qui ſtat ad oſtium animarum noſtrarũ, & pulſat, & dicit: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum; nunc vocat omnes ad ſe, & ne ullus expectet ad januam, reſerato lateris oſtio admittit omnes, & intromittit antequam pulſent, antequam vocent: & ſedere facit diſcumbentes, ad menſam, & præcinctus miniſtrat dicens: Comedite Amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi,

Si quid ferculorum, ſi quid potionis miniſtretur, ſi qua ibi quiete fruantur convivæ, quæris, quære ab Auguſtino dicente: Lõginus aperuit mihi Latus Chriſti lancea, & ego intravi Hic fidenter habito. Hic me jucunde reficio. Hic quieſco ſecurus,

Idem ergo ſinus domicilium eſt, cœnaculum eſt, cubile eſt, Domicilium ad ha-

bitandum. Cœnaculum ad gustandum, quam dulcis sit Dominus, & suavis. Cubile ad recumbendum in cœna non suprà, sed intrà pectus Domini. Alias alii domos quærant, ubi degant. Alias cœnationes ad celebranda convivia, etiam Salomonis ædibus, etiam Assueri hortis magnificentiores: Alios ad quietem comparandam lectos lectissimis, mollissimisque refertos sive frondibus, sive lanis: nobis hæc omnia Christi Pectus est.

4 Aperuit nobis Dominus sinum suum. Cor suum. Cur? Non solum, ut nos ingrederemur ad ipsum, sed ut ipse ingrederetur ad nos. Aperuit enim pectus suum, ut suo provocati exemplo, nostra illi pectora panderemus. Aperuit cor suum, ut Amori suo omnia cordis nostri penetralia reserarentur. Dixi Amori, non oculo. Omnia enim illius Sapientiæ oculis nuda sunt, aperta sunt. Sed non omnia patent Amori. Non quæcumque pervadit lux Sapientiæ, Amoris flamma succendit.

Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Ierem. 17. 9. Quomodò ergo scrutator acutissime cordium in humana tibi corda ingressum patere desideras? Quod si omnium corda prava sunt, quid erit, & quale, cor meum? Si duritiam attendis. Quid durius? Si perturbationes. Quid turbulentius? Si labes, & inquinamenta, quid immundius? Si duplicitatem, si obliquitates intentionum,

quid

quid tortuosius? Si gelu, quid frigidius? Et hoc tibi cum omnibus suis recessibus postulas aperiri? Quid invenies in corde meo, nisi mala omnia, quæ tantoperè exhorrescis?

Si à sententia non recedis munda prius cor meum, vel potius cor mundum crea in me, & spiritum rectum innova in visceribus meis; munda latebras omnes miseræ conscientiæ meæ; munda me illo sanguine, qui unà cum aqua de Latere tuo manavit: ne te ingrediente cor meum habeat Bonitas tua, undè nimiùm contristetur; neque habeam ego, unde intolerabili confusione confundar.

5 Habes Domine corda innumera, de rectitudine cordis tui rectissima, de candore candidissima, de latitudine incircumscripta latissima. Hæc tibi aperta sunt. Hæc te digna sunt. O' si ad horum similitudinem cordium, ego quoque cor tuum ex corde toto diligere didicissem. Non ambulassem tunc vias difficiles, & in via iniquitatis lassatus non fuissem. Viam mandatorum tuorum cucurrissem, quia tui cordis latitudo, cordis mei dilatasset angustias. Sicut ipse ambulasti: sine me Domine proferre verbum, non solum sensum, & vires omnes, sed omnia exuperans desideria: Sicut ipse ambulasti, & ego ambulassem. Et cor meum, & caro mea exultassent in Deum viuum, & ego venissem ad te, & tu venisses ad me, & potuissem dicere: Paratum cor meum Deus,

paratum cor meum. Paratum videlicet ad bona, paratum ad mala. Paratum ad vitam, paratum ad mortem.

Hæc summa fuiffet felicitatis meę in hac lacrymarum valle. Hoc summum erga me tuæ clementiæ beneficium. Verùm quò defluxerim,vide. Obfcuratum eft infipiens cor meum, & evanui in cogitationibus meis. Dura cervice, & incircumcifo corde reftiti femper fpiritui tuo. Peccavi, & iniquè egi recedens à te: & deliqui in omnibus, & præcepta tua non audivi, nec obfervavi, nec feci, ficut præceperas mihi, ut benè mihi effet. Et ifti homini aperis vifcera tua, finum tuum, cor tuum? Quoniam magnitudo Bonitatis tuæ, nequitiam meam, nequitiam omnem excedit: Aufer à me, aufer ab omnibus peccatoribus cor lapideum, ficut olim promififti Ifraeli per Ezechielem cap. 36. 26. Pone fpiritum tuum in medio noftri. Dic etiam nobis: Salvabo vos ab omnibus inquinamentis veftris, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

Proba cor noftrum, & vifita nocte, igne nos examina, & non inveniatur in nobis iniquitas, uti petebat David Pfalm. 26. 4.

Non inveniatur iniquitas in corde noftro, five nos remotis arbitris, & velut iu tenebris operantes vifitaveris: Sive tempore tribulationis pariter vifitaveris, quādo palea fumat, aurum verò lucet, atque perficitur.

6 Templum illud eft affumpta humanitas,

tas, de quo dixit Dominus Io. 2. 19. Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ne autem portæ augustissimo Templo deessent, quinque ingressuris vulnera patuerunt.

Quoniam verò ex foribus Templi Hierosolymitani aliqua dicebatur speciosa, quià erat portarum omnium maxima, altissima, atque pulcherrima, & per eam, ut inquit Cornelius à Lapide in Actus Apostolorum cap. 3. principalis in Templum erat introitus: quidni divini Templi Portam speciosam vulnus Lateris appellemus? Est enim vulnus maximum, celsissimum, formosissimum, & per illud principalis in viscera Domini patet introitus.

Rursus quemadmodum ad portam speciosam Templi Salomonici, claudus ex utero matris suæ quotidiè bajulabatur, & ibi ponebatur, ut stipem ab introeuntibus emendicaret, donec Petro, & Ioanne ad horam Orationis nonam ascendentibus, apprehensa manu ejus dextera allevatus est, & consolidatis basibus, & plantis, exurgens stetit, cum illis intravit in Templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum: Ità quot claudi ab utero genitricis suæ ad apertum Domini Latus, tamquam ad Pottam speciosam ponuntur, ut à divitibus introeuntibus stipem petant, & pro auro, & argento sanitatē animæ recipiant, & consolidatis basibus, hoc est affectibus cordis humani, qui potissimum sunt, odiū sui, & Amor Dei, cum ascendentibus in

Templum, aſcendant, & præ lætitia exiliant, & laudent Deum.

O' ſi ego præ cæteris utroque captus pede ad januam poſitus ſpecioſam, ope introeuntium non auro, argentoque donarer, ſed ſanitati reſtituerer! Quicumque divites in virtute, divites in Fide Templo ſucceditis, dexteram porrigite miſero, & jacentem allevate, & Deo veſtris annuente votis, tribuite, ut incipiam odiſſe me ipſum, & amare Deum; & qui amavi me uſque ad contemptum Dei, diſcam amare Deum uſque ad contemptum mei; & ſic baſibus conſolidatis à terra ſurgam, & cũ introeuntibus Templum introeam, & gaudio exiliam, & laudem Deum.

Surgam ergo Domine Deus, & amem. Surgam, & accedam ad te, & recedam à me, & recedens peream mihi, & mihi periens perveniam ad te. O' amare! dicebat Auguſtinus. O' ire! O' mihi perire! O' ad Deum pervenire!



ME-

MEDITATIO VII.

De Parentis Divinæ Coronatione.

1 APocalypſ. 12. 1. Signum magnum apparuit in cęlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.

Divus Bernardus tom. 1. Serm. de Aſſump. cujus initium eſt: Signum magnum. Putaſne ipſa eſt Sole amicta mulier? Eſto quidem, ut de præſenti Eccleſia intelligendum propheticæ viſionis ſeries ipſa demonſtret, ſed id planè non inconvenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimirum ea eſt, quæ velut alterum Solem induit ſibi: Quemadmodum enim ille ſuper bonos, & malos oritur, ſic ipſa quoque prę-terita non diſcuit merita, ſed omnibus ſe ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu. -- Et paulò inferiùs.

Candidiſſimus ſanè, ſed & calidiſſimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excelenter irradiata eſſe noſcuntur, ut nihil in ea non ſolum tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minùs lucidum, ſed nè tepidum quidem aliquid, aut non ferventiſſimum liceat ſuſpicari. Inſipientia ve-

rò omnis sub pedibus ejus est, ut penitùs absit hæc ab insipientium mulierum numero, & Collegio Virginum fatuarum. Imò vero, & unicus ille stultus, & totius stultitiæ Princeps, qui verè mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus miseram patitur servitutem.

Denique paulò post subdit. -- Quam familiaris ei facta es Domina, quam proxima, imò, quam intima fieri meruisti! Quantam invenisti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo. Vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria suæ Majestatis. Vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris. Hæc Sanctus Doctor.

Igitur quid à muliere amicta Sole sperare non possumus, ac debemus? Si Pater Cœlestis solem suum oriri facit super bonos, & malos: numquid Mater ejusdem Solis, solem suum oriri non faciet super justos, & injustos? Ab initio conceptionis suæ, Sapientia sua, & Charitate deiformi induit Patrem Luminum, Induit Lumen de Lumine, Deum de Deo, Deum verum de Deo vero. Quidni, & ipsa faciat, quod Pater Luminum facit?

Deindè si amictus Virginis candidissimus est, & calidissimus, quis à Luce purissima, quis ab illius calore ardentissimo se abscondat? Nisi quis perire velit, nemo expers erit, aut lucis omnia illuminantis, aut caloris omnia vivificantis. Soli stulti per lunam adumbrati sub ejus pedibus ja-

jacent, & unâ cum totius ſtultitiæ Principe, attrito capite conculcantur.

Ab illa poſtremò, quæ tam perfectè induit Solem, non ſolum incarnatum, ſed increatum, petamus, ut ſecundum pręceptum Apoſtoli IESUM Chriſtum induentes, non ſolum illius virtutes, quas in terris viſus, & cum hominibus converſatus exercuit, imitemur; ſed etiam quantum licet, divinis ejus moribus informemur.

2 Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Privilegia duodecim frontem auguſtiſſimam coronantia, ut memoriæ conſulatur, ad quattuor ternaria revocari poſſunt.

Ternarium primum ſit: Divina Maternitas; fęcunda Virginitas; perfectior poſt partum Corporis, Animique integritas, quam antè conceptum.

Ternarium ſecundum. Neſcia hęreditariæ maculę Innocentia; fortitudo omnis peccati, omniumque cum Duce ſuo inviſibilium hoſtium Debellatrix: Beneficentia damni omnis per Hevam illati reparatrix.

Ternarium tertium. Potentia de Potentia Patris, Sapientia de Sapientia Filii, Charitas de Charitate Spiritus Sancti; ſingulorum ſimul, & omnium cęlituum Potentiam, Sapientiam, Charitatem ſupereminens.

Ternarium quartum. Protectio militantis, Conſolatio Gementis in Carcere, Lętitia triumphantis Eccleſiæ.

Antequam proposita seorsim decora perpendamus, egrediamur, & videamus Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus. Gaudeamus non gemmis, sed sideribus coronari caput, quod semper cęlestia cogitavit.

Gaudeamus secundò. Duodecim decora, non auro siderum aut comparari, aut illustrari, sed tantummodò adumbrari. Quantò enim divina Maternitas, quantò fęcunda Virginitas, quantò cętera Privilegia clariora sunt, ac pretiosiora sideribus?

Gaudeamus tertiò. Quòd nemo per contemplationem, & amorem cęlestium exaltatus à terra, si nidum fortè posuerit inter hæc sidera Virginei capitis, illa sępè animo versans, & suspiciens, & venerans; nemo inquam audiet illud ex Abdię 4. Si exaltatus fueris ut Aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Utinam cum astris matutinis, & omnibus filiis Dei Deum laudantibus, & jubilantibus, possimus, & nos in suis operibus Deum laudare, ipsumque diligere in his præcipuè sideribus, quę serenissimum caput exornant.

3 Si primum ternarium attendamus, quid mirabilius excogitari potest? Divina Omnipotentia majus cœlum condere potest, majorem mundum, majorem sapientiam, majorem sanctitatem illa, quam innumeris Angelis, & hominibus impertivit. Matrem majorem condere non potest. Quæ siquidem Mater illi conferri potest,

test, quæ Dei Parens nominatur & est?

Aue igitur gratia plena. Ave benedicta inter mulieres. Ave Mater Altissimi. Aue, quæ cum sis Mater Adami de cęlo cęlestis, non dedignaris esse Mater filiorum Adami de terra terreni: Ità nè Mater amabilis? Tu tibi probro non ducis esse matem nostri, quæ Mater es Dei? O' Charitatem! O' Dignationem! Da ergo, ut ex toto corde possimus dicere: Monstra te esse matrem. Da virtutes, quibus filii nominemur, & simus illius, quæ mundo peperit lucem mundi.

Iam verò quoniam eras Lucem purissimam paritura, quid convenientius, quàm ut simul esses Mater, & Virgo? Et quidem magis incontàminata, & illibata postquam peperisses, quam antequam concepisses? Deus enim de Deo, Lumen de Lumine sinum tuum ingrediens virgineam integritatem nullatenus minuit, sed consecravit, novaque lucis immissione reddidit candidiorem.

O' Virgo ante Partum, Virgo in partù, Virgo post partum, candidissima de candore Lucis æternæ. Fac ut de plenitudine tui Candoris accipiant universi. Illustra Faciem tuam super nos, & corporis, animiq; munditiem omnibus impertire. Munda potentias exteriores. Munda interiores: Munda opera, munda verba. Tribue candorem cogitationibus intellectus. Candorem tribue affectibus voluntatis, ut gratiora sint Matri candidissimæ, nostræ obsequia servitutis.

4 Pri-

4 Privilegia secundi ternarii singularem adversus omne peccatum primumque Authorem peccati oppositionē includunt: prætereà cladum, quæ per Hevam illatæ sunt mundo, reparationem. Quantùm de peccato domito, primoque Authore peccati triumphato, unâ cum Ecclesia militante, ac triumphante, gratulamur tibi Triumphatrix amplissima; tantùm obsecramus, obtestamurq; Clementiam tuam, ut nihil magis oderimus, quam peccatum. Quoties de tua Sanctitate divinæ impeccabilitati simillima cogitamus, toties gaudio impares sumus, totisque præcordiis exultamus.

Sed quid refert de tua Sanctitate gaudere omnis labis experte, & non summo ferri odio in omne peccatum? Ergo in Admiratores, & amatores Innocentiæ tuæ, deriva de sanctitate tua studium ardentissimū vitæ innocentis, deriva omnis peccati odium implacabile. Noxas omnes etiam levissimas fugiamus. Pugnemus te Duce, quotidiè adversus mundum, adversus mūdi Rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus. Pugnemus præciquè adversus nosmetipsos, quos nisi vicerimus, frustrà manus cum aliis hostibus conseremus.

In præliis verò adversus inferi portas, illud potissimum præ oculis habeamus, ut exemplo tuo caput tortuosi draconis conteramus, hoc est ut machinationum initiis obsistamus, & numerosa colubri capita-

no-

nostræ semper insidiantia saluti, ab ipso congressus initio comprimamus, elidamus, proteramus.

Quod attinet ad malorum depulsionem, mundumque in melius restauratum, plus nobis profuisti, quam Eva nocuerit. Angelico illa seducta colloquio mundum perdidit. Tu ab Angelo salutata mundum erexisti jacentem, perditumque renovasti. Illa mortem peperit. Tu occidisti. Illa sibi, nobisque Paradisum voluptatis occlusit. Tu cęlum, tibi, nobisque per Filium reserasti: Audiens illa: Eritis sicut Dij, de filiis Dei fecit filios Diaboli. Tu audiens: quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei, illum concepisti, nobisque dedisti, qui mutata servitute in Regnum, miseraque sobole de Patre diabolo, in sobolem Patris sui, dicturus erat hominibus: Ego dixi: Dij estis, & filii excelsi omnes.

Exclamemus igitur cum Beato Augustino tom. 10. de Annunc. Dom. serm. 2. O Beata MARIA quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere? - Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit. Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa - fit per te excusabile, quod per te ingerimus. Fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus.

Re-

Redona quod rogamus, excusa quod time=mus, quià tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima nostrorum est expectatio pręmiorum.

5 Ternarium tertium vocat nos ad considerationem decoris eminentissimi. Si enim Humanitatem assumptam excipias, fuit Parens divina prima, & perfectissima imago Augustissimæ TRIADIS. Igitur qua Potentia erit prædita, quæ de Patris Potentia potentissima, ardua quæque, dum apud nos viveret, aggressa est, perfecitque: nunc verò omnia potest amplitudine sibi traditæ potestatis, beneficentiæ, protectionis Urbes omnes, Provincias, Regna, & Imperia respicientis, & omnibus prospicientis.

Qua Sapientię luce fulgebit, quæ de Sapientia Filii Sapientissima ab ipsa conceptione fuit Cherubinis, qui toti sunt oculi oculatior, & ad majorem semper claritatem in singula momenta progrediens, more surgentis Auroræ, nunquam intermisit cursum, nisi postquam meridiem attigit beatificæ Visionis?

Quo denique Charitatis igne flagrabit, cujus adhuc viventis in corde Spiritus sanctificator Seraphim omnium collegit incendia?

Ad hujus provoluti pedes magnitudinem veneremur, beneficentiam deposcamus. Potentiam infirmi, lucem caligine involuti, ardorem gelu rigentes imploremus.

mus. Succurre igitur Potentissima imbecillitati nostræ, neque tot malis undique ingruentibus, neque tot incursionibus hostium permitte succumbere. Si volueris, nos quoque adversus nefarias Potestates, adversus mala omnia, poterimus omnia in illo, qui nos per te confortat.

Caliginem intellectus discute Sapientissima, ut Scripturarum arcana scrutantes, & in veritatibus revelatis primam Veritatem contemplantes, ad illius denique clarum intuitum, remotis ęnigmatum umbris evehamur.

Dissolve glaciem ardentissima Parens; qua per tot annos obriguimus. Dedoce amare, quæ amavimus. Amare doce, quæ adhuc amare nescimus. Impetra unicuique nostrum, ut mutata voluntate dicere possit ex toto corde: Amo te Pater ingenite: Amo te, Fili unigenite: Amo te Divine Paraclite: Amo te Deus cordis mei; plusquam me, & plusquam omnia, quæ sunt infrà te. Amo Potentiam tuam, ut possim agere omnia, & pati, & durissima pati prò te, & propter te, Potentia tua confortante me. Amo Sapientiam tuam, ut per illam magis noverim te, & magis cognoscendo, magis diligam te, non verbo, & lingua, sed opere, & veritate. Amo Amorem tuum: & quià quid sit amare Amorem tuum, neque scio, neque scire dignus sum: offero tibi omnes Amores illorum, qui sciunt, quid sit amare Amorem tuum; offero tibi omnes Amores

Ama-

Amatorum tuorum. Sed quià, & omnium Amorum cumulus, nimis exigua portio est illius Amoris, qui tibi debetur, offero tibi Amorem tuum, exuviis nostræ mortalitatis indutum, qui tibi solus esse potest æqualis. Quibus autem manibus Amorem optimum offeram Domino Potentissimo, Sapientissimo, Optimo, nisi manibus Dominæ Optimæ, Sapientissimæ, Potentissimæ?

6 Ternarium ultimum revocat nobis in memoriam, Virgo clarissima te Robur esse, & Columen militantis, te Solamen gementis in vinculis, te Gaudium Ecclesię triumphantis.

Mille clypei pendent è turribus tuis, & omnis armatura fortium. Pendent scuta, quibus divina Veritas nos circumdat, ne timeamus à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & Dęmonio meridiano. Psalm. 90. 5. Pendent galeæ salutis ad retundendos impugnantium ictus, servandumque caput intellectus illæsum ab erroribus. Pendent loricæ, quibus nos induit Sanctitas, & Iustitia. Pendent arma lucis, quibus Principes, & Rectores tenebrarum harum feriuntur.

Quis timeat bellare bella Domini, te omne genus armaturæ militantibus ministrante. Si ego infimus pugnatorum ad inusitatos hostium impetus fortè perturber, animoque destituar, una cum armis impertire vires, & animos, ne vincenti-

bus

bus aliis ego ſuccumbam, & vincar ſub vexillis tantæ Victricis.

Dum autem bellantibus præſto es, non es immemor eorum, qui de prçlio ſaucii exierunt. Ideò ſæpè triſti vinctos in carcere per nuncios inviſis, & lugentibus ſolatia adhibes, & captivis pretia Redemptionis à fidelibus collecta tranſmittis.

Utinam etiam nos fratrum noſtrorum in vinculis degentium commiſeratio tangat, & pietas à te in nos delapſa faciat nos de noſtro liberales, undè, & obſequi tibi, & illis ſubſidio eſſe poſſimus.

Denique ſicuti cçlum omne tua luce, ità voluptate perfundis. Prima poſt Deum, Filiumque tuum de te Hominem factum, in admirationem rapis omniū oculos Beatorum. Specula Divinitatis ſunt omni decore fulgentia cçlites cuncti. At nuſquam extra te occurit ſpeculum illi ſimilius, qui dicitur: Candor Lucis æternæ, Speculum ſine macula, & Imago Bonitatis illius. Ideò Spiritus immortales, Iuſtique omnes pleni ſunt quodamodò oculis intus, & foris, ad Reginam amictam Sole ſpectandam, ſideribus redimitam, & non ſolum habentem lunam ſub pedibus, hoc eſt omnia caduca, & mutabilia, ſed habentem infrà ſe lunam, hoc eſt Eccleſiam univerſam ex omnibus Angelorum ordinibus, claſſibuſque Sanctorum coaleſcentem. Sed numquid caput tuum duodecim ſolum aſtra circumdant? Si Divinitas cçlum eſt tot coruſcum ſideribus, quot attributis immen-

mensa Luce fulgentibus, & si vestis tua Sol est; cur non omnia divini Cęli sidera in tui se capitis coronam aptare dicantur? Ergo beatissimi Cives quodnam infrà Deum, quodnam infrà hominem Verbo conjunctum potestis habere spectaculum Virgine spectabilius?

Spectaculo vestro superfrui liceat vobis spectatores excelsi, gaudiumque vestrum de spectaculo vestro sit plenum; sed interim memineritis nostri, ut & nos gaudere possimus. undè gaudetis, postquam benignissimus Dominus lacrymas ab oculis nostris absterserit, & non erit amplius luctus, neque dolor, neque clamor erit ultrà.

FINIS.